

MUSA AMERICANA  
SEU  
DE DEO CARMINA  
ET  
LACRHYMÆ S. PETRI  
AD USUM SEMINARIÏ LEONENSIS  
IOSEPHI MARIA A IESU DIEZ DE SOLLANO  
ET DAVALOS  
LEONENSIS EPISCOPI  
Diligentia reimpressæ.

LEON: 1877.

apud J. M. Monzon.  
(vulgo) de la Condesa.

ina  
sitar.a

5  
7

PA6135

.C7

M8


1877

C.1

001017



1080027691



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

MUSA AMERICANA

SEU

DE DEO CARMINA

AD USUM SEMINARIJ LEONENSIS

IOSEPHI MARIA A IESU

DIEZ DE SOLLANO ET DAVALOS

LEONENSIS EPISCOPI

DILIGENTIA REIMPRESSA.



LEON. ANN. 1817.




Typ. apud Iosephum M. Monzon Capilla Alfonsina  
*Via vulgo dicta (de la Condesa).* Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN  
Biblioteca Valverde y Tellez

038653

PA6135  
C7  
148  
1877



Immisit in os meum Canticum  
Novum, Carmen DEO Nostro.  
Ps, 39. V, 4.



JOANNES BENEDICTUS GAMARRA

LECTORI S. S.

MUSAS (ut ait Cardin. de Polignae) (a). ad vera vocare, et quasi postliminio restitutas, ab inanibus, ac propudiosis fabulis, ad DEUM, et ad Mysteria Christianae Religionis adducere, in veró est, quod pauci haetenús bono omine, et successu tentarunt. *Jacobus Samazarius* scripsit de *Partu Virginis* libros tres. *Hieronimus Vida* Episcopus Albanus *Christiadem* libris sex, et hymnos. Atque hi feré duo sunt, qui publico suffragio Principes habentur, et qui propiús quidquam caeteri omnes *Virgilium* sequuti esse merito suo existimantur. Sed tamen *Samazarius* gravem Eruditorum reprehensionem incurrit, túm quod Sacra profanis temeré miscuit, túm quod multa, non ea qua par erat

(a) *Anti-Lucret. Lib. 1. V. 22.*

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

001017

## II.

dignitate tractaverit. Exempli gratia Deiparen-  
ti Virgini ad crucem stanti haec affingit (a)

..... *Crudeles terras, crudelia dicit  
Sidera, crudelem sese, quod talia cernat  
Vulnera saepe vocat: tum luctisono ululatu  
Cincta replens*

Et post pauca:

*Cui querar? O tandem dirae me perditae dex-  
trae  
Me potius, (siqua est pietas, immanibus armis  
Obruite: in me omnes effundite pectoris iras.*

At haec (nequid dicam asperius) absurda sunt,  
et à constantia Virginis alienissima, et ad Eu-  
ryali matrem putidius perversa imitatione con-  
ficta.

Noque multum ab his distant, quae *Vida* lo-  
quentem Virginem inducit: (b)

..... *Addite me me*

(a) *Lib. 1. d. V. 338.*

(b) *Christ. Lib. 5.*

## III.

*Huic etiam si qua est pietas, et figite trunco  
Aut vos o! montesque feri, quaeque ardua  
cerno*

*Me supra frondere cacumina, parcite quae so  
Vos saltem, vos o! nostro exsaturata dolore  
Respicite, et miserae tandem succurrite Matri.  
Nunc nunc praecipiti casu convulsa repente  
In me unam ruite, et tantos finite labores.*

Decentne haec Virginem? An non sunt ac-  
comodatiora, ac fortassis elegantiora quae de  
eodem argumento hic? (a)

*Stabat, perque genas mutae lachrymae, atque  
silentes*

*Ibant. Nec planctu, nec foemineo ululatu  
Obstrepit. Infandum, dirum, immensumque  
dolorem*

*Pectore conclusum, laniantem viscera, totum  
Sustinuit. Materque, eademque tenerrima  
Virgo*

*Stabat; cum totus rueret, pessum iret et Orbis  
Mira ingens, et digna Dei constantia Matre!*

(a) *Carm. VI.*

## IV.

Porro silentium hoc, et veritati multo magis consentaneum est, et modestiae, dignitatique Virginis melius consultit, et dolorem caeteroqui praesefert acerbiorē, grandiorēque.

De vulnere lateris haec *Vida*: (a)

*Hic ausus eolus lato cui lancea ferro  
Longinus sanctos violare ignobilis artus  
Irruit, et longa transverberat abiete costas.  
Intepuit ferrum, Sanctum ebibit hasta cruo-  
rem.  
Vulnere quo perhibent bicoloris fulminis in-  
star  
Et purum laticem, et rorem exilijsse ruben-  
tem.  
Diluta est humus, erubuerunt gramina cir-  
cum.*

Haec Poëta Americanus: (b)

*Ruptum etiam pectus. Vulnus crudelius  
hoc est.*

(a) *Christ. Lib. 6. a V. 61.*

(b) *Carm. VI.*

## V.

*Postremam ediderat gemitum, expiraverat, et  
jam*

*Mors erat in vultu, palam erant vestigia  
mortis;*

*Et tamen immanis tentavit lancea Pectus,  
Ultima scrutatum est ferrum penetralia cor-  
dis;*

*Si qua lateret ibi vitae pars ulla superstes.  
Ferrum crudele! Et multo ah! crudelius ipso  
Clavorum ferro! Nihil ó! crudelius unquam!*

Utra horum sint elegantiora? Utra legentium animos vividius tangant, et pietatem citius accendant? Hoc enim veró est, quod subtilioris palati hominibus judicandum relinquo. Neque enim ego is sum, qui possim sententiam ferre: neque hanc unam alteram, de multis quas possem comparisonem institui, ut *Vidae*, aut *Sannazario* Poëtis clarissimis quidquam detrahā; sed eó duntaxat, ne quis me iniquum existimet, si quae typis de carmina quondámodo exoseculor.

Abgré illa ab Authore extorsi, & ut quod res est fatear pené subripui. Neque me furti poenituerat. In his enim multa tractantur Reli-

## VI.

gionis nostrae Mysteria, et ferè omnia, quae de Deo cognoscimus, et appellamus *Attributa*, nunquam antea, quod sciam carminibus donata. Haec autem ita scripta sunt, ut primùm pietatem erga DEUM ardentissimam, deinde nativum latini sermonis nitorem, et carminis elegantiam spirent ubique. Neque tam magno numero, aut mole sunt, quae Pueros obruat, terreatve, quominus possint omnia ad linguam suam verte- re, et penitus intelligere, et memoriter etiam tenere. Quae qui fecerint mirùm quantùm Religionem, Pietatamque animis suis imbiberint. Nam ut sumus tenacissimi eorum, quae rudibus annis percepimus, occurrent identidem grandioribus Carmina illa quae Paeri didicerunt: et aliud agentibus, nolentibusque, ac penè invitis igniculos Pietatis injicient.

Atque his ego rationibus adductus, nolui mihi uni, quae pio furto subdixeram avarus retinere; sed ad communem utilitatem, praecipuèque ad informandam, et erudiendam, et Juventutem Collegij nostri Salesiani publici juris faciendam esse omninò existimavi.

ERUDITISSIMI

D. JOANNIS LAMII

ECCLESIASTICAE HISTORIAE PROFESSORIS,  
JOSEPHI II. CAESARIS, MAGNIQUE ETRURIAE  
DUCIS THEOLOGI, AC BIBLIOTHECAE  
RICCARDIANAE PRAELECTI.

## EPISTOLA.

*Clarissimo Viro D. Joanni Benedicto  
Gamarra et Davalos Scientiarum, bona-  
rumque artium amatori Joannes Lamius S. D.*

Ago tibi gratias incredibiles, Vir Amplissime, quod mihi copiam feceris legendi elegantissima Carmina Americani Sacerdotis popularis tui, quae non animum tantùm legentis suaviter mulcent: sed veram etiam Religionem potenter insinuant, et pietatem erga Deum mirabiliter excitant. Miratus sum Romanas Musas non inuitas in Orbem immenso mari ab Orbe nostro sejunctum feliciter, bonisque avibus se trajecisse; ibique, humaniter exceptis, Latinam Poësin à peregrinis exterisque hominibus adeò studiosè

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

excoli et exerceri. Hinc taneti Poëtae honori  
meritò et convenientér Virgilianum illud usur-  
paverim:

Tale tuum nobis Carmen, divine Poëta,  
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum  
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.  
Prosperam et utilem apodemiam per Italiam  
nostram Tibi auguror; et cum patriam tuam  
reversus fueris, noli mei, hominis Tibi addictis-  
simi, oblivisci; sed, etsi tam longè dissitum, ut  
amare pergas, obsecro reverenter: menti enim  
quolibet ire licet. Vale et me ama. Dabam Flo-  
rentiae VIII KL. Decembris anno Pub. Sal.  
MDCCLXVII.



### PRÆSENTIA.

QUIS ERGO NOS SEPARABIT? NEQUE MORS NEQUE  
VITA NEQUE CREATURA ALIA POTERIT  
NOS SEPARARE.

*Ad Rom. 8. VV. 35. 38. 39*

### CARMEN I.

O ubinam es? Plus dimidio divellimur orbe  
Atque mari immenso est meus à me avulsus  
*Alexis*

O ubinam es? Demens, ioter suspiria, rursus  
Ingemino: At nec respondet, neque me audit  
*Alexis*

5 Et perdo lacrymas frustra, et suspiria perdo.  
Ergò abijsti, et me potuisti linquere solum  
Crudelis! Sed nec fuit o! crudelis *Alexis*,  
Nec potuit: nollens ille, atque invitus abivit.  
Esto; abijt sed enim procul ille, avulsus et a  
me est.

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



excoli et exerceri. Hinc taneti Poëtae honori  
meritò et convenientér Virgilianum illud usur-  
paverim:

Tale tuum nobis Carmen, divine Poëta,  
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum  
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.  
Prosperam et utilem apodemiam per Italiam  
nostram Tibi auguror; et cum patriam tuam  
reversus fueris, noli mei, hominis Tibi addictis-  
simi, oblivisci; sed, etsi tam longè dissitum, ut  
amare pergas, obsecro reverenter: menti enim  
quolibet ire licet. Vale et me ama. Dabam Flo-  
rentiae VIII KL. Decembris anno Pub. Sal.  
MDCCLXVII.



### PRÆSENTIA.

QUIS ERGO NOS SEPARABIT? NEQUE MORIS NEQUE  
VITA NEQUE CREATURA ALIA POTERIT  
NOS SEPARARE.

*Ad Rom. 8. VV. 35. 38. 39*

### CARMEN I.

O ubinam es? Plus dimidio divellimur orbe  
Atque mari immenso est meus à me avulsus  
*Alexis*

O ubinam es? Demens, ioter suspiria, rursus  
Ingemino: At nec respondet, neque me audit  
*Alexis*

5 Et perdo lacrymas frustra, et suspiria perdo.  
Ergò abijsti, et me potuisti linquere solum  
Crudelis! Sed nec fuit o! crudelis *Alexis*,  
Nec potuit: nollens ille, atque invitus abivit.  
Esto; abijt sed enim procul ille, avulsus et a  
me est.

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

10 Et neque in amplexu ruere, et nec jungere  
dextram

Jam possum, nec saltem audire et reddere  
voce[m].

Ad Sole[m] plerunque amens convertor, et:

O tu

Sol felix! Fortasse videt nunc te quoque A-  
lexis.

Infelix infelicis solamen amoris!

15 Este mihi, et tu o Sol, et coeli, et Sidera  
testes:

Nunquam ego jam deinceps demens et stul-  
tus amabo

Mortalem, qui me invito á me possit abire.

O DEUS! O ubinam non est Tu? Numi-  
ne comples

Cuncta tuo, Tu semper ades, tu semper ubi-  
que es.

20 Omnia cum possis; tamen ipse á me procul  
esse

Non potes; atque etiam nolles etsi hoc quo-  
que posses.

Nam meministi, cum delicias mecum esse sole-  
bas

Ipse vocare tuas. Quanta indulgentia amoris!

Qui te amat, Alme DEUS, quando ad te  
fletu gemitve

25 Audis, et Sanctas lachrymas, quas mittimus  
ad te

Excipis ipse manu omnipotente, sinuque re-  
condis:

Et vel lachrymulae sua confers praemia vili.

Arcanos etiam gemitus, quos necdum ego  
sensi

Praesentis (a) prior, et praevertis vota be-  
nignus.

30 Quis me, ó dulcis Amor, Deus alme, avellere  
possit


A te? Circumstent me enses, saevaeque se-  
cures,

Quaeque alia in caedes cudit Mars impius  
arma:

Ridebo: non ista DEUM á me avellere pos-  
sunt.

Conjurent inis excitae ab sedibus umbrae

(a) Praeparationem cordis eorum audivit au-  
ris tua. Ps. 10. Secundum Hebraeos V. 17.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



35 Tartareae, pandat ravidus tria Cerberus ora,  
Tisiphone intortos pro erinibus explicet an-  
gues,

Omnia Cocytii exurgant crudelia monstra;  
Ridebo; non ista DEUM á me avellere pos-  
sunt.

En fremit, et concussa suo propé cardine  
tellus

40 Executitur, rabeat, nutat tota, omnia susque  
Deque ruunt, montes volvantur, corut orbis:  
Interea et Coelum pavitantem fulminat or-  
bem,

Aër inhorrescit tonitru, immensoque fragore,  
Eripuere diem nubes; nox atra repenté

45 Incubuit, lux, praeterquam dant fulmina,  
nulla est.

Ridebo; non ista DEUM á me avellere pos-  
sunt.

Pallida mors en armata arcu, armataque  
falce

Irruit, et frendens, et inexorabilis, arcu

Me petit, et certam torquet, celeremque sa-  
gittam:

50 Ridebo placidas multúne, irrideboque mor-  
tem:

Nam neque tu, mors saeva DEUM á me a-  
vellere po-sis.

Pigra venis, pigra et est tibi falx, pigraeque  
sagittae.

O quoties te suspiravi, teque vocavi!

O bené, quod tandem venísti! Vincula rumpe

55 Corporis, ut possim tetro hoc é carcere mis-  
sus,

Usque meum contemplari Dominumque  
Deumque,

Et corám aspicere, et corám placidissimo  
amore

Usque frui, et Sanctos propiús bibere ebrius  
ignes.

Alme DEUS, solus tu me non deseris  
unquam

60 Nec procul es: nam si vivo, in te vivo, fruor-  
que

Lumine: si Terrae pertaesus, rumpsero pen-  
nas,

Perque iter insuetum totas Maris arduus un-  
das (a)

(a) Ps. 138. VV. 9. 10.

Tranare, tua me manus, et tua dextera ducet: (a)

Si coelâ ascendo audax, descendove ad ima,  
65 Ecce ades, atque ubivis dextram mihi porgis amicam.

Denique si morior; non me ipsa in morte relinquis:

Dimidiam quandoque mei mors dividet à me,  
Dividet, avelletque à mente superstitute corpus;  
Sed non te avellet, nec te à me dividet unquam.

70 O DEUS ol Nimum felix est qui te amat unum

Quisquis es, ah! hominum jam hinc obliviscere amores:

Unus abesse nequit DEUS, et DEUS unus amandus.

(a) Ps. 138: VV. 9. 10.

### BENEFICENTIA.

CUM IPSE DET OMNIBUS VITAM, ET INSPIRATIONEM  
ET OMNIA.

Act. 17. V. 25.

### CARMEN II.

Ergo meos (fateor tandem) malè perdidì amores.  
Poenitet ah! Quamquam mihi nec crudelis *Alexis*  
Nec fuit ingratus: benè respondebat amori  
Ut mos est hominum, felicem saepe vocabant

5 Qui procul usque meum contemplabantur amorem.

Ipse ego conabar me fallere, et esse beatus  
Ipse mihi, et felix fortunatusque videri:  
Nam quid plura velis quidve optes? Ardet *Alexis*,  
Custus amor dulces flammæ alit, et te amat ille

10 Et te amat ille magis, quàm tu fortassis *Alexim*  
Haec ego: et interea tamen impatientia sisti

Pectore, rumpebant pectus suspiria multa,  
Perque oculos fusus lacrymis dolor ibat abortis.  
Nescio quos tristes in corde expertus hiatus,

15 Nescio quod vacuum grande, impatiensque repleri,

Flebam, nec poteram, quàmvis conarer, amorem  
Solari ipse meum, neque ipse putare beatum.

Nempé hominem tandem, fuit hoc et crimen, a-  
mabam.

Tu DEUS, alme DEUS, solus tu dignus a-  
mari,

20 Solus Tu humani cordis sincera voluptas.

In te uno felix domum, placidusque quiescit

Noster amor, totus quotus est tibi debitus uni.

Cætera sunt miseri, et vacui ludibria amoris.

Tu me solus amas. Nam quis Pulcherrime rerum

25 Quis nisi tu me unquam, quis me. Te præter,  
amavit?

Tu sine me felix et eras, semperque fuisses;

Alta ego, et horrenda nihili caligine mersus

Totus eram; graudi mersum tu voce vocasti,

Audivique tuam vocem, emersisque vocatus

30 E nihilo: hoc ego eram sine Te, semperque fuis-  
sem.

Tu mihi quod vivo, quod sum, DEUS alme, de-  
disti;

Et das nunc: nisi enim tua me pia dextra teneret;

Prontinûs in nihilum rursûs revolutus abirem.

Quocûmque aspicio, ecce tuis sunt omnia plena

35 Muneribus: qui me involvit circumfluis aër

Praesto est, et mitis se se pulmonibus infert,

Sanguis ut inde novis auctus vitalibus auris

Ire redire queat, facilisque subire meatus

Angustos, quibus it subitus, circumque supraque.

40 Magnum jussisti Solem hunc mihi fundere lucem:

Perque vices, veluti intentum ad mea commoda,

nasci,

Atque mori, et tunc coelo alios accendier ignes,

Qui mulceré oculos, possintque reducere somnos.

Quin subiecisti mihi Tu quae cuncta creasti. (a)

45 Idcirco et docilis supponit terga Elephantus.

Et se subdit equus mihi, cervicemque reclinat:

Et procumbit humi, et submittit cornua Taurus:

Me quoque cæû Dominum revereri, et vincla su-  
bire

Sævi ipsi didicere Lupi didicere Leones.

50 Quin ad arenam etiam tumidos Mare frangere  
fluctus (b)

Ipse coegisti imperio, et præbere carinis

Terga, atque ingentes ad littora volvere pisces,

Esca mihi impliciti laqueis, verubusque futuri.

Terra mihi magna, et propria est domus: hanc  
tua dextra

55 Condidit, et nullis nixam, fultamve columnis

Suspensam medio libravit in aère firmam.

Arida erat: jussisti, et cogitur humidus aër

In nubes, ingens coelo venit agmen aquarum;

Nec cadit uno ictu, nec vortice, et impete caecò,

60 Sed quasi per cribrum, cunctando, atque ordine  
multo

Funditur, et stillat guttatim é nubibus imber.

Dein quae nuper aquae cecidere, et viscera Terrae

Intrerunt ima, et caveis latuere profundis,

Bullire incipiunt, doctaeque repenté subire

65 Ardua quaeque, scatent interdum in vertice  
montis:

Inde cadunt, fiunt ingentia flumina, et orbem

Instar venarum amnes circumeuntque rigantque.

(a) Ps. 3. V. 18.

(b) Job 38. V. 1.

**PATIENTIA.**

MISERATOR ET MISERICORS DOMINUS, PATIENS  
ET MULTUM MISERICORS.

Ps. 144. V. 8

**CARMEN III.**

Quis furor ó! Jam flagitiorum pondere fessus  
Nostrorum, se se malé sustinet, et gemit orbis.

Per fas, atque nefas furit undique saeva Cupido  
Auri: molitur fraudes incendia furta.

5 Et quaquaversús laqueos et retia tendit:  
Urit mortales amor, et malus ardor habendi:  
Hoc unum volvunt homines noctesque diesque:  
Et plerique aurum, tanquam DEUS esset, ad-  
rant.

Parte alia furiosa magis, magis improba saevit  
10 Bruta Libido, sub e mentito nomine Amoris.

Averto hinc oculos alió. Bella impia cerno,  
Seminecesque viros nantes in sanguine multo  
Inter equos, atque arma, et strata cadavera pas-  
sim:

Híc caput: illúc it truncum et sine nomine cor-  
pus:

15 Hic manus: avulsa est: et adhuc audax rotat  
ensem.

Heú quorsum fugiam? Ibo domos, patriosque  
penates,

Caede fatigatos oculos recreabo: videbo...

Quid? Caedes etiam, atque armis peiora venena.  
Nusquam tuta fides: parat hic aconita noverca:

20 Híc struit insidias fratri Soror; ille Sorori:  
Uxori conjux: Nato Pater; ille Parenti.

Quin didicere ipsae Natorum sanguine Matres  
Foedari, suametque effundere viscera ferro.

Et superesse malum, et scelus his crudeliùs  
ullum?

25 En dejecta oculos, vultus dejecta decoros,  
Nuda pedes, trahitur manibus post terga re-  
vinctis

Relligio, portans immania vincula collo,  
Inter clamores sceleratos: impia turba

It circum, captae insultans, iteransque caehinnos.  
30 Siccine? Et haec ausa Impietas in puné trium-  
phet?

O ubinam DEUS est? Ultiores Numinis este  
Vos Montes, cadite: iratos Mare tu vomit fluctus,  
Vosque catervátim obruite orbem, Fulmina,  
Flammae.

Haec ego: et interea has placidus ridet {DEUS  
iras

35 Exsurge ó DEUS, ingemino, exsurge, exereque  
ensem,

Exsurge ó! Quare obdormis? (a) Dormire videtur.  
Tanta Deo est Mansuetudo, Patientia tanta.

Sons, Insons, juxtá pluvijae Sole fruuntur, (b)  
Sol utriusque oritur, Rbs et descendit utriusque.

40 Atqui Sol radios ferrugine tingeret atrá

(a) Ps. 43. V. 23.

(b) Mat. 5. V. 45.

Undique luxurians ridet lactissima tellus  
Graminaeque et frutices, viridantesque explicat  
herbas.

70 Umbrosum Arboribus caput est, ad Sidera sur-  
gunt

Flectuntque iratum Solem, Solemque morantur.  
Erumpunt passim flores, et aromate multo  
Turgentes, halant varios suavissimo odores.  
Densantur passim, foetuque gravantur aristae.

75 Messoresque vocant, falcesque, atque horrea  
poseunt.

Certatim erumpunt, pendent et ab arbore poma:  
Mille exquisitos intus dulcesque sapes  
Miscent, atque ultró assentantur odore, colore.  
Nec satis hoc, ramos arbor quasi brachia tendit,

80 Utque mihi tradat pomis inclinet onustus.

Siquid avis rostro furtim libavit: et illa  
Admonet equodnam possim jam carpere pomum.  
Rursus quicquid avis cantat dulcis, mihi cantat,  
Nam nisi ego ad cantus avium sunt omnia surda.

85 Magna in se se: at parva tuae haec sunt munera  
dextrae.

Omnipotentis, et en multó majora supersunt.

Debueras, nam peccavi, me trudere ad umbras  
Pallentes umbras Erebi, flammisque tremendas.

Vinctus ubi, immensas, immortalesque catenas

90 Mordendo, arderem, et nunquam consumerer igne.

Justum erat, et merui. Tu Clementissime rerum,  
Quid faceres? Neque enim fas impunita relinqui  
Crimina. Debentur poenae, solvique necesse est.  
O nova inauditum Divina industria amoris!

95 Quas ego debebam poenas, Tu, corpore sumpto

Factus HOMO, pro me ingrato indignissimo  
amari,

Exsolvis, pro meque manus in vincla dedisti:

Pro me verberibus, clavis, cruce, sanguine; spinis,  
Qui solus poteras mea tu commissa piasti,

100 Et tandem exspirasti inter tormenta, latronesque  
Attonito, et lugente, et ne quid tale videret  
Sole repentinis caput obnubente tenebris.

Nec tamen his contentus adhuc, sub imagine  
panis

Exigui, involvens totum Te Hominemque DEUM-  
que

105 Dissimulas Majestatem, quam non capit orbis,  
Irrepisque tibi specie, et mea pectora tentas,  
Sollicitusque meos urges, et quaeris amores.

Languet amore DEUS: succurrite, languet a-  
more.

Discite jam tandem, Mortales, quid sit *amare*.

110 Si libet (ah miseri) vestros vos perditte amores;  
Me DEUS unus amat, mihi et est DEUS unus  
amandus.

Sontibus, et putri manarent sanguine nubes:  
Hoc vetuit DEUS, et justas compescuit iras:  
Tanta DEO est Mansuetudo, Patientia tanta!

Non hominum ritu Omnipotens irascitur. Ille  
45 Quae dumque volet meritas infligere poenas  
Nunquam illum reus effugiet, nusquamque la-  
tebit.

Arguit exiguas vires, violentior ira;  
Est, ubi majores vires, patientia major.  
Quanta erit ergo DEO bonitas? Patientia quanta?  
50 Cunctatur, non vult, et cum jam plectere soutes  
Cogitur, horrendos strepitus ciet ante, minatur,  
Fulgurat, et vacuo tonitru sine fulmine terret.  
Ostentat, vibrat gladium multumque diuque.

Plerumque ille tamen non utitur ense; sed arcu.  
55 Tardior est, et propterea ipsi praeplacet Arcus.  
Sed tamen exhaustis pharetras, arcumque te-  
tendit,

Jamque videbaris tibi met perijisse sagitta:  
Terrore is elicit gemitum, elicitque pudorem.  
60 Poenituit accleris tandem te: elanguit Arcus.  
Omnipotens, atque imbelles caecidere sagittae.  
Tanta DEO est Mansuetudo, Clementia tanta!

Et tamen eluvione olim pessumdedit orbem:  
Totas vorticibus flammaram absorbit urbes:

65 Aspectans retró mulier, Sal facta repente est:  
Quadrupedem inter quadrupedes incedere Regem  
Jussit, et immundas ad pastum quaerere glandes  
Non ita nunc: silet usque DEUS: dormire videtur  
Altiús, ac olim, et major Patientia nunc est.

70 Scilicet ille DEUS nunc est, et non erat olim  
Partus Virgineae Matris, mitissimus Agnus:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Olim erat ipse Leo rugitu, iraque tremendus;  
Non jam rugitus: dulces imitabitur Agnus  
Balatus Matris, rugitus non dabit Agnus.

75 Iras dedidit; Puer est, et prorsus incermis  
In Matris gremio pendens et ab ubere dormit:  
Divina ideo major Patientia nunc est.

Qui Leo terribilis quondam nunc mitior agnis  
Agnus, Divino, pro te, et me, sanguine fusso,  
80 Sanguineas tandem mactatur Victimam ad aras.  
Ecce manu, DEUS, ad palum, confixus utraque  
est.

Non ut erant olim, in manibus sunt arcus, et  
ensis;  
Haerent infixi clavi, immani, atque profundo  
Vulnere, et Omnipotens, clavis tribus, é cruce  
pendet.

85 Horret, et attonitum carmen silet ac silet  
orbis.  
Divina interea major Patientia nunc est.

**OMNIPOTENTIA.**

IPSE DIXIT ET FACTA SUNT, IPSE MANDAVIT, ET  
CREATA SUNT,

Ps. 148. V. 4.

**CARMEN IV.**

Principio coelum et terram, verbo eruit uno (a)

(a) Gen. 1.



Et nihilo DEUS: et Nox ambitiosa tegebat  
 Omnia: Divinus vehebatur desuper undas  
 Spiritus; et segnis tellus, et maesta jacebat.  
 5 *Fiat lux* dixit facilis DEUS: illa repente  
 Risit, et e tenebris nitidum caput extulit alma,  
 Et videre illam, et pavidae fugere tenebrae.  
 Coelestes Genij, purae sine corpore Mentis,  
 (Si modo Sanctorum Sancta est doctrina Paren-  
 tum)  
 10 Tunc, una Mentis illae cum Luce creatae.  
 Dein: *Fiat coelum*, dixit DEUS, inter aquarum  
 Moles, quae sursum fusae sunt, quaeque deorsum.  
 Dixit, et immensa explicere volumina coeli  
 Inter aquas, hinc, inde alias, subtusque su-  
 praque.  
 15 Quotquot aquae sub coelo estis, dixit DEUS,  
 alveo  
 Cogite vos uno, atque appareat arida Tellus:  
 Continuo Mare subsedit, panduntur hiatus  
 Immensi, effosis caveis sine fine profundis,  
 Certant praecipites illuc descendere fluctus:  
 20 Extollit se se, atque undis subito cruta Tellus  
 Eminent, undique adhuc moerens tamen, undique  
 inanis.  
 Et DEUS: erumpat Tellus, herbasque virentes  
 Germinet, emittantque ipsae sua semina secum:  
 Et tulit extemplo laetissima gramina Tellus  
 25 Frugesque, et secum sua semina quaeque tulere.  
 Existiterat vix e terra, et proceras repente  
 Arbos, intumuit trunco, ramosque tetendit,  
 Foetaque maturis facta est extempore pomis,  
 Et dixit DEUS: exoriantur Lumina magna

30 In coelo, et certas nocti, certasque diei  
 Constituant metas, sint et certissima signa,  
 Queis partiri homines possint et tempora et annos:  
 Illicet Astrorum Rex Sol prorupit, et illum  
 Nascentem stupuit tanta luce ebrius orbis.  
 35 Luna quoque obstupuit, totique ebnoxia Soli  
 Admirans ipsum, luce alternata, ipsa refulsit:  
 Praesidet haec Nocti; sed praesidet ille Diei.  
 Tunc et quinque alij coelestibus orbibus ignes  
 Ab Sole accensi, taciti fulserunt Planetas  
 40 Mercuriusque, Venusque, et Mars, et Juppiter  
 altus,  
 Et Jove Saturnus toto caelo altior ipso:  
 Diverso inter se se omnes, varioque colore.  
 Tunc quoque Siderae coeli ipso in vertice flam-  
 mae  
 Innumerae erupere, nihil jam Solis egentis,  
 45 Nam totidem Magni sunt quot sunt sidera Soles:  
 Utque super Terram lucerent, omnia facta.  
 Dixit item DEUS: e gremio nascentur aqua-  
 rum  
 Reptantes Pisces, simul et genus omne volucrum:  
 Et subsultabant mox jam toto aequore Pisces,  
 50 Fluminibusque, et respirare, et vivere in undis  
 Edidicere ipsi. Contra emersere, et ab undis  
 Remigio alarum capita exseruere volucres,  
 Aeraque invitum sibi subjecere volatu,  
 Et surdum prius ac mutum fecere canorum.  
 55 Dixit item DEUS: e terra viventia bruta  
 In lucem erumpant, quorum pars repere tantum  
 Per terram; Pars quadrupes incedere possint:  
 Nec mora, repabant jam mox Animalia multa,

Multaque per campos cursu, saltuque micabant.  
 60 Illae agnosceas Leo, Regem se esse ferarum;  
 Arduus incedit, rugituque imperat arvis.  
 Hæc exultat equus, modoque hinc, modò subsillit  
 illuc.

Proflat et hinc ita toto ore, et naribus ignes.  
 Illæc aerinæ pendens in vertice rupis

65 Eminet, et propius coelo infert cornua Cervus:  
 Hæc illæc pecudes saltant, luduntque per agros.

Tunc: Hominem faciamus ait DEUS almus, et ille  
 Sit similis Nobis, Nostrique simillima imago:

Sit Rex, et magno imperio premat omnia sub se  
 70 Quaque patet toto latè dominetur in orbe.

Cùm volet ille, alas cogent, venientque vocatae  
 E coelo volucres, venient ad littora Pisces

Et dociles venient Tygres, venientque Leones,  
 Auscultare Hominis mandata, facessere jussa:

75 Espontè illi fruges feret, et feret omnia tellus.  
 Factus Homo, et suaves gemmabant undique  
 flores.

Spontè Homini gravidas Tellus fundebat aristas,  
 Spontèque pendebant matura sub arbore poma.

Tygrès ipsae humiles veniebant lambere plantas  
 80 Blandi aderant Hominem cauda mulcere Leones,

Cumque jubebatur saltabat ab æquore Piscis.  
 Et jussae; ultro etiam volucres, et spontè vola-

bant,  
 Ludibantque humeros circum, circumque sede-

bant,  
 Certatimque dabant dulces è guttore cantus.

85 Continuo ut voluit, verbo DEUS omnia fecit,  
 Omnia et aspiciens quæ fecerat, ipse probavit.

Audisne? Hoc tandem, hoc demum est esse  
 Omnipotentem.  
 Et coelum, et terram, et denum facere omnia  
 verbo.

MAJOR

SE OMNIPOTENTIA.

FECIT POTENTIAM IN BRACHIO SUO.

Cant. Magnif.

CARMEN V.

Cùm fabricabatur, totum aedificabat et orbem,  
 Majus opus DEUS, arcana jam mente fovebat,  
 Majus opus, fieri nemo quod posse putabat:  
 Non homo, non aliquis felicior incola coeli.

5 Huic operi Omnipotens voluit proludere, tentans  
 Exploransque suas vires, cùm condidit orbem.  
 Tanti opus hoc! Et erat post saecula multa futu-  
 rum

Scilicet Humano vestiri corpore, et alvo  
 Virginis includi, quem totus non capit orbis,

10 Et fieri Puer, atque Infans DEUS ipse parabat.  
 Et gène descendens coelo immutabile Numen  
 Mutabit vultus, Pueri et Puer induit artus?

Hoc nec coelestes ipsas ascendere Mentis  
 Suspicionem unquam potuit. Vos plaudite Sancti

15 Aligeri Puero, Pucrique applaudite Matri,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE LEÓN  
 DEPARTAMENTO GENERAL DE BIBLIOTECAS



Et Puero, et Matri, mecum Vos dicite carmen.  
Quilquid in orbe DEUS fecit, quando omnia fecit,

Latus erat, ludens digitis illa omnia fecit.  
Qui solis digitis, qui ludens condidit orbem,

20 Quas habet immensas vires hinc contulit omnes.  
Brachij et extenti hinc congesta potentia tota est.

Exhausit se se Omnipotens, Altissimus, in Te.  
Tu Patris Aeterni, Tu magna Potentia solus.

Macte Puer: nunc demum ostendis te Omnipotentem,

25 Cum vili in stabulo tanquam Puer ultimus orbis  
Nascaris ignotus: cum dat eunabula faenum:

Cum vix sunt panni, et puerilia lintea Matri,  
Nec satis ut non te crudelia frigora laedant:

Cum tacitae et teneris lacrymae labuntur ocellis:

30 Cum lallas vagisque tener sine viribus Infans.  
Hoc est, quod nemo nostrum te posse putabat:  
Et potuisti etiam, Hoc demum est esse Omnipotentem.

Ut vult; nec possunt tam parvula brachia Matrem

Amplecti! ut Mater conatus dicere, Ma-Ma

35 Ingeminat Puer, infanti balbuti et ore!

Haeret in obtutu Matris Puer: illa modestos  
Attollens oculos, oculis respondet amori.

Ut Puer assurgit gremio, pedibusque tenetis

Insistens, Matri mille oscula dulciora figit!

40 Scilicet haec Salomon, Davidis maxima proles  
Olim magnifico praedixerat oscula cantu (a)

(a) Cant. 1. V. 1.

Vaticinans quae nunc Puer hic petit oscula Matri

Et quae Divinis Infans premit ubera labris.

Salve Sancta Parens, Salve castissima Virgo,

45 Ancillam te humilem, non plus tu te ipsa vocabas:

Urere jam tandem, dulci utere nomine Matris.

Magna in te Omnipotens Miracula grandia fecit!

Lotus Divinus requievit Spiritus in te.

In te etiam Virgo exhausta Omnipotentia tota est.

50 Quique potest nutu meliores fundere Soles,

Majores caelos, millenaque Sidera et orbes;

Nec poterit deinceps, nec jam conabitur unquam

Majorem Te, nec meliorem fingere Matrem.

Salve magna Parens, sola et tu Virgo, Parensque.

55 Tu Rubus ille ardens illnesus: Tu quoque es illud

Vellus rore madens circum silentibus agris,

Rursus et intactum medio agro vellus ab umbra.

Tu, Virgo, tu illa Eliae nubecula parva,

Quae totum sudito caelum circumdedit alvo.

60 Tu de Jessae radice es mystica virgo,

De qua prorupit tandem Flos candidus ille,

Quem suspirantes, votis lacrymasque vocabant

Aeterni colles, Veteres Sanctique Parentes. (a)

Salve iterum Mater Divina Puerpera Virgo,

65 Qui tuus, hic Patris Divini Filius idem est.

Agnovit Bos, et rudis ipse agnovit Asellus

Te, Puerumque tuum: proni sternuntur, et ambo

Ore fovent Puerum, curvato et poplite adorant.

(a) Desiderium collium aeternorum. Gen. 49.

V. 26.

Pastores huc 6 celeres: plenisque canistris  
 70 Ferte citi Flores, et circumfudite flores,  
 Purpureas violas, casiamque crocumque ru-  
 bentem,  
 Albaque mixta rosis, benevolentis lilia campi.  
 Interea canta tua tu, Cumaca Sybilla  
 Carmina, quae rerum ignarus male carmina torsit  
 75 Nescio quis: sed erat, memini, bonus, ille. Poeta:  
*Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo*  
*Jam redit et Virgo, redeunt Sanctissima regna.*  
*Jam nova progenies caelo demittitur alto.*  
*Te duce, siqua manet sceleris vestigia nostri,*  
 80 *Irrita, perpetua solvent formidine terras.*  
*Occidet et serpens, et fallax herba veneni*  
*Occidet.* Haec rerum tantarum ignotas, et audax  
 Sacrilego rapuit furto bonus ille Poeta.  
 Atqui Serpenti jam tum cum condidit orbem  
 85 Usque minabatur DEUS ipse, et: conteret inquit  
*Virgo tuum caput, et frustra insidiaberis illi.*  
 Frustrá: nec potuit Draco teter, et improbus ille  
 Te morsu foedare, tibi aspergere virus  
 Immane, et saniem horrendam, atque arcana  
 venena,  
 90 Queis necdum natos Mortales implicat omnes,  
 Victor io, bellator io, Pes Virginis hujus!  
 Nam pede contrivit caput exitiale draconis:  
 Victor io bellator io! Male sauciús anguis  
 Ad caput illisum pavitantes vix plicat orbes.  
 95 Victor io, bellator io Pes! Irrita tandem  
 Contritus serpens vomet atque ignava venena:  
 Evomet incaesum coluber quae paseitur atrox

Toxica, quae mandit rabidus mala gramina et  
 herbas.  
*Occidit en serpens, et fallax herba veneni*  
 100 *Occidit, infecit primos, quae perfida Patres,*  
*Quaeque hominum tabe intinxit genus omne fu-*  
*turum.*  
 Siqua manent priscoe illius vestigia culpae;  
 Tu Mater Virgo, tuus et dulcissimus Infans  
 Divina, et praesens estis medicina saluti:  
 105 *Per vos, siqua manent sceleris vestigia nostri,*  
*Irrita, perpetua solvent formidine terras.*  
 Qui sine Matre fuit soboles aeterna Parentis;  
 Nunc demum sine Patre oritur de Virgine  
 Matre:  
*Nunc nova progenies caelo demittitur alto.*  
 110 Et Puero, et Matri imperium sine fine ge-  
 rendum  
 Omnipotens dederat Pater, et qui bella ciebat  
 Hoste triumphato, domito, occisoque dracone  
*Ecce redit Virgo, redeunt Sanctissima regna,*  
*Magnus et hinc oritur saeculorum et vertitur*  
*ordo.*  
 115 O quanta in Puero, et Matre hác miracula!  
 Quanta!  
 Grandior, et Major nunc Omnipotentia se ipsa  
 est.

**EXCESSUS.**

DICEBANT EXCESSUM EJUS, QUEM COMPLETURUS ERAT

IN JERUSALEM.

Lucæ 9. V. 31.

**PARTEM VI.**

Heu Quianam tantâ genuit convulsa ruinâ  
 Undique totius concussi machina Mundi!  
 Ecce: improvisam, horrendam noctem: ecce re-  
 pentē  
 Exinctus medio Sol supra in culmine coeli est!  
 5 Spissæ, et quæ tangi manibus potuere, tenebrae!  
 Luna procûl nunc est: nec totum extinguere  
 Solem  
 Luna potest, nec tam ambitiosam offundere noc-  
 tem,  
 Quæ coelum, totumque involvat, et obruat orbem.  
 Templi vela, hominum nullis cogentibus, ipsa  
 10 Spontē indignantur summoque à vertice ad ima  
 Stridorem, irasque ingeminant, et rupta de-  
 hiscunt.  
 Nudaturque, profanata et Mystera lugent.  
 Saxa etiam rumpuntur: hiant revoluta sepulchra:  
 Apparent simulachra, modis surgentia miris.  
 15 Omnia, turbato penitus rerum ordine, nutant,  
 Volvantur tanquam jam jam interitura, ru-  
 untque.

Scilicet indignâ, et crudeli morte peremptus  
 Exspirabat HOMO DEUS: et sensit, gemitque,  
 Auctoremque suum morientem exhorruit orbis.  
 20 Hicine, quem spinis horrentem tempora cir-  
 cum  
 De clavis, de vulneribusque, et de trabe cetno  
 Pendentem, mediumque duos hinc inde latrones,  
 Hicine HOMO DEUS est? Et quis committere  
 tantum  
 Ausus, vel potuit? Nihil o! Crudelius unquam!  
 25 Aspice diffusum totum exhaustumque cruorem  
 Quam lacerum est, quam triste, cruentatumque  
 cadaver!  
 Aspice vibices, plagasque; et verbera: sputa  
 Atque alapas in vultu ipso: et quæ vincula, funes  
 Passim impresserunt vestigia multa cruenta!  
 30 Aspice adhuc distenta, avulsaque ab ossibus ossa:  
 Obsignatos morte oculos, et sanguine multo  
 Concretos: etiam concretos sanguine crines:  
 Imbutasque, et rorantes quoque sanguine spinas:  
 Et manus, utrosque pedes grandi atque trabali  
 35 Clavo confixos ad palum, et vulnere ruptos!  
 Ruptum etiam pectus! Vulnus crudelius hoc est.  
 Postremam ediderat gemitum exspiraverat: et  
 jam  
 Mors erat in vultu, palam erant vestigia mortis,  
 Et tamen immanis tentavit lancea pectus:  
 40 Ultima scrutatum est ferrum penetralia cordis.  
 Si qua lateret ibi vitæ pars ulla superstes.  
 Ferrum crudele: et multo ah! crudelius ipso  
 Glavorum ferro! Nihil o! crudelius unquam.  
 Quis tibi nunc Virgo cernenti talia sensus?

45 Cúm prope stans immota, DEUM Natumque  
videres

Inter tormenta, atque inter ludibria, clavis

Infami affixum palo, suspiria dantem

Postrema, et tandem claudentem lumina morte?

Ultra etiam mortem transfossum cuspide pectus?

50 Stabat, perque genas mutae lachrymae atque  
silentes

Ibant. Nec planctu, nec foemineo ululatu

Obstrepat. Infandum, dirum, immensumque do-  
lorem

Pectore concludsum, laniantem viscera totum

Sustinuit: Materque eademque tenerrima Virgo

55 Stabat: cum totus rueret, pessum iret et orbis.

Mira ingens et digna Dei constantia Matrel

O bene quod video geminos et sanguine claros

Et pietate viros accinetos tollere corpus

De cruce! Jam scalas ambo subiere, crucemque.

60 Evellunt spinas primúm saevamque coronam:

Stillat adhuc multus renovato é vulnere sanguis.

Percrepat et gemitu, et repetitis ictibus instat

Malleus, et crebra forceps vi annexa, laborat

Ernere, intortos retrorsum á cuspide, clavos.

65 Hos jam tandem exemere, amplexuque cadaver

Divinum stringunt moestissima et oscula figunt.

Fortunati ambo nimitúm! Qui sustinet orbem

Sustentant! Ipsorum humeris, colloque recumbit!

Heu! Major, Virgo, major te poena ma-  
nebat?

70 Illa quidem Gnati laecerum, et miserabile corpus

Virgineo excepit gremio, complexaque, et haerens

Materno, vultum, vultu atque os ore premebat.

Pallida, et attonite, ubértim, et sine murmure

lapsis

Vulnera tergebat lachrymis, lachrymisque la-  
vabat.

75 Hicine, Virgo Parens, tuus est Pulcherrimus  
ille?

Aspice, et explora hos oculos, haec ora, ma-  
nusque.

Filius hiené tuus Sobolesque Æterna Parentis  
Divini, et cum Patre Deo Omnipotens DEUS  
ipse?

Heu! Quám dissimilis, quantúm mutatus ab illo

80 Cujus in aspectu, noctesque diesque trahebas?

Cujus ad imperium Manes, et paruit ipsa

Improbata Mors, surda actutum patuere sepulchra:  
Redditaque amissae viguere cadavera vitae?

Hircanae Tygres haec, Getulive Leones

85 Aspiciant: Tygres flebunt, flebuntque Leones,

Quámvis de rigido staret mihi marmore pectus;

Nunc ó! nunc etiam rumpuntur saxa, gemuntque.

Flere libet: justo libet indulgere dolori.

Mortuus est Immortalis. Quis credere tantum?

90 Tanto infelices homines complexus amore est!

Mortuus est, nostra infanda ut commissa piaret:

Mortuus, ut nostra ablueret peccata cruore.

Né nos, qui meriti, nos qui peccavimus ipsi

Morte immortalis aeterno lueremus, et igne.

95 En cur Divinam vitam cum sanguine fudit:

Curque tulit tormenta, crucem, ludibria, mortem.

Hoc ille, hoc unum crimen commisit, *Amavit!*

O Amor! O mi dulcis Amor, Dulcissime JESU,  
Quid nos, quid viles homines tam perdité amasti,

- 100 Prodigus ut velles Divinam effundere vitam,  
Et tam ignominiosá, et acerbá occumbere morte?  
Peccarant; luerent homines peccata; perirent  
Addicti huiusquam morituris ignibus: omnes  
Nos merití nimium sumus has exsolvere poenas.
- 105 Núm Tu propterea, núm Tu minus inde beatus?  
Dicam iterum, audeboque iterum: nos perdité  
amasti.  
Plus etiam audebo: *mente excessisse* videris,  
Cúm nos, cúm viles homines tám perdité amasti.  
Hic erat *excessus* Solymis complendus, *amoris*
- 110 *Quem Moses quemque Elias, in vertice. Tecum*  
*Montis dicebant* mirabanturque vicissim.  
Excessit DEUS: *excessum complevit* amavit  
Ad mortem, atque ultrá. Spirant haec vulnera  
amorem.  
Mortuus est, et adhuc hoc spirat pectus amorem:
- 115 Sed jam verborum satis est. Nil carmina pro-  
sunt.  
Vos lacrymae, et gemitus vos ó! Succedite  
fletus.

**SOPOR EXCUSSUS.**

EGO DORMIVI ET SOPORATUS SUM, ET EXSURREXI.

Ps. 3. V. 6

**CARMEN VII.**

Ite procul gemitus, procul hinc absistite luctus:

- Nam sopor ille fuit; non mors: dormivit JESUS.  
Magdala, quid lacrymas frustrá tu perdis et  
usque  
Singultans, vix non moreris consumpta dolore?
- 5 Quidve unguenta paras, interque cadavera, de-  
mens  
Quaeris viventem? Nulla híc jam funera, nullum  
Stringere quod possis, flendo, inter brachia cor-  
pus,  
Atque alóe, et mixtá lacrymis perfundere myrrhá  
Lilia cui possis, et circumfundere myrtum,
- 10 Et moerentem hyacinthum, immortalesque ama-  
ranthos.  
Húc ades ó! Vacuum sine corpore cerne sepi-  
chrum:  
Crede oculis tu tu ipsa tuis. Quem perdita tan-  
túm  
Luges, quem tantum suspiras, Magdala, vivit:  
Non mors; sed sopor ille fuit: dormivit JESUS.
- 15 Sed quid dissimulem? Quis fallere possit ama-  
tem?  
Mors fuit illa quidém, fuit illa miserrima caedes;  
Sed tamen ille tuus non est híc, Magdala,  
JESUS.  
Rupit, si nescis, perrupit vincula mortis,  
Ceu posset facilem, placidumque abrumpere  
sómnum.
- 20 Victor io! Mortis victori dicite carmen:  
Surrexit, qualis vel matutinus Eöus  
Lucifer, aut surgit ridens Aurora tenebras.  
Nil vigilum excubiae, Miles nihil obstitit illi,  
Nec lapidem immanem superimpósuisse sepulchro

25 Quem nulli vectes, possēt vis nulla movere.  
 Et poterat solo nutu ille revolvēre saxum,  
 Noluit. Intacto juvat illum exire sepulchro,  
 Intēgra ut exivit quondam de Virginis Alvo.  
 Olim erat affinis morti sopor; illa sopori

30 Fastu se extollens, affinem se esse negabat.  
 Quippe reconsebat longos sine fine triumphos:  
 Tot populos, urbesque et regna sepulta ruinis:  
 Tot Reges, quōndam populorum terror, et orbis,  
 Qui nulli excutere, aut potuerunt fallere mortem:

35 Nunc cinis exiguus sunt, exiguaeque favillae:  
**HIC JACET**, hoc illis superest de Regibus n-  
 num.

Non ita Rex Regum. Morti concessit, obivit  
 Ille; sed illius nempe haec sunt scripta se-  
 pulchro.

**SURREXIT JAM. NON EST HIC. SUR-  
 REXIT JESUS.**

40 Solus hic excussit mortem, mortemque fefellit.  
 Nunc primūm affinis, placidoque simillima  
 somno

Mors fuit. Illa alios jam dedignata triumphos;  
 Se se Immortalem tandem vicisse canebat.  
 Vulnera vulneribus, tanto diffusa triumpho,

45 Congessit, post mortem etiam, obstruxitque se-  
 pulchrum.

Jamque videbatur sibimet secura triumphi:  
 Et currus, et equos, atque aspernata quadrigas;  
 Alta, triumphales nigras superinduit alas,  
 Tentabatque superba ipsum conscendere coelum,

50 Atque ipsi, ut terris, coelo dominarier alto.  
 Vana, caduca fuere haec (non plus) somnia Mortis.

Omnia quae misera crepitabat gaudia fastus,  
 Omnia mendacis placida haec ludibria somni  
 Versā retró. Coelos dum mors meditatur et astra;

55 De cruce descendit DEUS ille ad regna profunda;  
 Ad manes, Erebumque Potestatesque tremendas:  
 Omnes sternuntur passim, pronaeque silesunt.  
 Inde Triumphator rediens redivivus in auras

60 Sanctorum, in cineres, jam saecula longa, redacta,  
 Stare iterum secum jussit, secumque venire,  
 Divinosque sibi, et pulchros glomerare triumphos.  
 Nec mora: Qui nupér cineres; jám plena vigoris

65 Corpora erant. Ingens, vivum de morte tro-  
 phoeum!  
 Mortem ipsam Victor pavitantem, et multa ge-  
 mentem

Ire catenatam ad currum et post terga revinctam  
 Jusserat, inque rotas foedos illidere dentes.  
 Victor io! Plausus iterate, et fundite plausus.

70 Vicisti, et victam mortem tibi tendere palmas  
 Angeli ab aethereis multum plaudentibus oris,  
 Nos quoque cum plausu mortales vidimus omnes,  
 Et videre ipsae, infernae et gemere tenebrae.  
 Victor io! Dulces geminate et rumpite cantus.

75 Solus Amor vicit JESUM. Redivivus ab umbris,  
 Quae sibi fecit Amor dulcissima vulnera gestat:  
 In corde, in manibus charissima vulnera servat.  
 Victor Amor! Mortis Victor nam victus Amore  
 est!

80 O ubi nunc tandem vana illa insomnia mortis?  
 Versa retró, excusso, sunt illa insomnia, somno.



**DEUS ABSCONDITUS.**

VERE TU ES DEUS ABSCONDITUS,

*Isa. 45. V. 15.*

**CARMEN VIII.**

- Cúm dilexisset sibi, quos delegit Amicos (a)  
 Mirúm incredibile et quantúm dilexit eosdem  
 In finem vergens, jam jam moriturus JESUS.  
 E coena surgens: erat etsi perfidus unus  
 5 Inter bis senos; jubet illos usque sedere  
 Ordíne quemque suo: celer ipse, et plenus amore  
 Mittit aquam in pelvim, circum sibi candida  
 cingit  
 Lintea, deque genu, toto ore, et pectore pronus,  
 Sollicitis modó aquas manibus, modo lintea trac-  
 tans  
 10 Illorum ille lavare pedes, et tergere coepit  
 At contrá attonitasque horrensque resistere Pe-  
 trus.  
 Nil agis, ó Tu Sancte senex, frustráque repugnas,  
 Abluet ille pedes, dabit haec tibi, et ultima a-  
 moris  
 Pignora chara sui: frustráque moraris amanteur:  
 15 Et Divina etiam Majestas cedit amori.

(a) *Jo. 13. V. 1. et seq.*

Et tamen hoc quantum est nihil est; majora su-  
 persunt,

Majús amoris opus parat, et molitur JESUS.

Vos ó, vos omnes accerso et provocho Amantes,  
 Quotquot in orbe aliquando nuncvé, olimvé  
 fuistis:

- 20 Húc vos, hic magnum certamen initur amoris:  
 Dicite siquid amor facere unquam grande cõegit  
 Vos, vestros, ipsimet vos extollite amores.  
 Congerite húc etiam, quosquos vel fabula men-  
 dax  
 Obstrepit, Historia, aut siquos miratur Amantes.  
 25 Fingite praeterea, nam concedam hoc quoque  
 vobis,  
 Adjicite et nova siqua placent mendacia: cuncta  
 Audiam, et annitar, quaecumque haec vera pu-  
 tare.  
 Quaecumque ista tamen, nimíúm mihi frigida,  
 sordent  
 Omnia, Divino si componantur amori.  
 30 Frigent Euryalus, Nisus, Pyladesque, et Orestes,  
 Tyndaridaeque, et Atridae ambo, Patroclusque  
 et Achilles.  
 Frigent Mausoli cineres, quos miscuit omnes  
 Vinoque et mistos lachrymis charissima conjux  
 Exhaustit. Quám majus opus molitur JESUS!  
 35 Ille viam invenit, quá nostri in pectoris imá  
 Intraret, non jam in cineres conversus inertes;  
 Omnipotens ut erat potuit plus, plus et amavit,  
 Ille tentatam anté viam tentavit, et ipse  
 Quaecevitque sibi, invenitque in pectore sedem.  
 40 Ingeniosus, inaudito miraculo amoris

In Panem, in Vinum, extollens vocem Omni-  
potentem,

Verbo transformat se se: eibus esse videtur, (a)  
Et semet manibus gestat, se dividit ipse:

Infert se se in Discipulorum pectora totus.

45 En ut amore actus, Majestatem exiit omnem,  
Majestatem immensam, infinitam, atque tre-  
mendam!

Quique Homo, quique DEUS, totus sub imagi-  
ne paus,

Qualis erat coram, et rursus sub imagine vini  
Totus erat. Latebras interdum quaerere Amantes,

50 Et furtim auscultare solent, placet usque latere,  
Clamque esse; hunc morem sibi nunc adiscit  
JESUS.

Nec putat indignum, nec dedignatur amare  
Has tam humiles latebras, facilem de vite li-  
quorem,

Et facilem, exiguam, et cererem. Ultró se abdi-  
dit ille

55 In mica in gutta. DEUS en Absconditus hic est.  
Parce precor JESU, sine me ó! Mitissime  
JESU.

Succensere tuo, si fas, audenter amori.

En quid agis? Needum tu homines bene nosse  
videris

Impium et ingratum semper genus. Huncmet  
amorem

50 Christe tuum, tanquam vana esset fabula, multi  
Heu multi excipient risu, infandoque cachinno.

(a) Mat. 26. 17. 26.

Perfidiosi, insani, hoc te fecisse negabunt,  
Et potuisse etiam. Scelus exitiale nefandum!

Crederet praeserent alij se, ibuntque frequentes

65 Templi, tuas passim proni sternentur ad aras:  
Te coram stabunt; stabunt sed corpore coram;  
Mente tamen procúl usque aberunt, et nihil mi-  
nus illi,

Quám te ó Dulcis Amor, secum tum mente re-  
volvunt.

Nonne vides? Alios vel tum meditantur amores,

70 Cum tua templa adeunt, et cum tua sacra fre-  
quentant.

Unum nempé tuum illi obliviscuntur amorem  
Contemnunt te unum. Tanquam vilissima quae-  
que

Tractarent, audent scelerati haecmet tua sacra  
Polluere, et sanctae polluti accedere mensae.

75 Ecce modó immane, hoc audet jam perfidus ille!  
Hosne tu amare potes? Tibimet jam consule  
JESU.

Quisquis amat saltem (minimú hoc est) sperat  
amari;

Tu quid agis? Quorsúmve tuos sic perdis amores?  
Sed nihil ista movent JESUM: nam plús amat  
ille

80 Quám sumus ingrati, crudeles, perfidi, acerbi  
Nos homines: neque amasse unquam nos, poeni-  
tet ipsum.

Scilicet ut Mater furiatum, menteque captum  
Atque reluctantem gremio fovet anxia gnatum,  
Deliciasque suas vocat, et mille oscula miscet

85 Perdita, blanditiasque novas meditatur, et urget.

Ille oculos circum asper volvens, torva tuetur,  
Et sputa, et spumas Matri malè torquet in ora;  
Sed necdum Pueri Matrem, neque taedet amoris.  
Sic nos multò etiam plus nos dilexit JESUS.

90 Transformasse semel se se necdum est satis illi.  
Quotidie id fieri juvat, et delectat Amantem  
In latebras saepe, inque humiles abijisse figuras.  
Ut possemus idem, penè et nos Omnipotentes  
Essemus dedit. Immensi, admirabile amoris

95 Portentum! Hoc ipsum quod feci, et vos facite,  
inquit,  
Quandocumque suimus feret, et mihi amica vo-  
luntas,

Et memores estote mei, Quis talia fando  
Explicet, aut verbis immensum hunc aequet a-  
morem?

Ecce et ego, quot sunt hominum indignissimus  
unus,

100 Vix ego, vix inquam tono dum Sanctissima verba  
Illicet et panis perit, et fit Corpus JESU,  
Prontinùs et vinum nullum est: sed Sanguis  
JESU;

Soleque jam superest rera vini et panis imago.  
Quantus amor! Quantus! Pròh sanctum nomen  
Amoris

105 Usque profanatum! Nunc demum quit sit *amare*  
Agosco. Solus nempe ó! Sincerus Amator  
Tu DEUS. Et verè DEUS altè Abconditus  
os Tu.

### UNUS EST DEUS.

AD ROM. 3. V. 30.

PATER, VERBUM, ET SPIRITUS SANCTUS, ET HI TRES-

UNUM SUNT.

1<sup>a</sup> Jo. 5. V. 7.

### CARMEN IX.

Artificem magnum esse aliquem, qui Sidera,  
coelum,

Qui Mare, qui Terras, qui totum hunc finxerit  
orbem,

Usque patet. Vel dormitanti occurrit ubique,  
Et se prodit ubique DEUS. Sunt omnia plena

5 Numine, plena DEO. Nulla unquam hoc ausa  
negare

Gens, vel inaccesso septem subjecta Trioni  
(Quamquam aversus equos terris Sol jungit  
ab illis)

Vel quae gens (núper malè credita barbara) Sole  
Sub medio, totis et luce, et Sole fruuntur.

10 Non homo; sed stipes, sed dura et inhospita  
rupes,

Qui nullum sentit, nullum qui Numen adorat.

Peccarunt homines contrá, nec mitiùs: Unum  
Divisere DEUM in plures deliria quaeque,

Monstraque nil veriti, pro Religione pacisci.

15 Non tot, cum fluctus tollit Mare, conspuit algas,  
Nec tot in immenso exiguae sunt littore arenae,  
Nec totidem viles herbae nascuntur in agris,  
Quot sibi stulti homines fecerunt Numina, quot-  
que

Invexere DEOS. Spissam, insanamque catervam,

20 Ridiculaque, et cui nulli satis esse caehinni.  
Nempe Dij illi omnes fures, et adultera turba,  
Zelotypi rixas inter se, et jurgia miscent:  
Ut miscere solent, multa vi, cornua tauri,  
Quis nemori imperitet, quem bucula pulchra  
sequatur.

25 Fulmina, sudore horrendo, duroque labore  
Claudus utroque pede infelix Ferrarius unus  
Cudit Vulcanus, quod si ipsum incudis, et ignis  
Taedet, si pigeat fumi, nigraeque coquinae,  
Tum quid agant illi? Fac indignentur. Inermes

30 Nulla Dij possint jam mittere fulmina, nullos  
Jupiter in terras jaculari e nubibus ignes.  
Quam lenis, mitisque est jam bona turba Deo-  
rum!

Ridicula insanae, et miserae deliria mentis,  
Et quorum pueros trimos, bimosque puderet!

35 Nonne Dij plures si sint, certare necesse est,  
Utró possit uter plus? Qui non omnia possit,  
Non erit ille DEUS; sed inanis fabula vulgi.  
Este pares omnes. Pejus tum, viribus aequis,  
Concurrent, luctabuntur, poteruntque viscissim

40 Alternas rapere, et raptas avertere praedas.  
En Numen, duo si fuerint vel Numina, nullum  
est.

Nempé unum est Numen, DEUS unus, originis  
expers

Ab se se, Aeternus, qui nunquam inceperit esse  
A quo principium, quotquot sunt, omnia ducunt:

45 Unus et Omnipotens Supremus et arbiter orbis,  
Omnia qui fieri, verbo uno, voceque jussit,  
Factaque sunt: idem et qui fecit, cuncta coer-  
cet.

Imperioque regit, nullis consortibus, unus.

Nec semel est unus; sed ter: neque enim exi-  
git aevum

50 Prole carens DEUS. Essetne infocundus, et or-  
bus?

Non ita: Prole pari gaudet, Divinus et ipse  
Filius est, Divinum et Amorem spirat uterque.  
Arcanum ei Mysterium, inenarrabile linguis!  
Cum non sint plures, sit cum DEUS unus et  
idem;

55 Est Pater, est Verbum, Sanctus quoque Spiritus  
ipse est:

Trinus et est DEUS, et numero DEUS impare  
gaudet.

Tres sunt, et rursus sunt idemmet DEUS hi  
Tres.

Filius est Patri aequalis, Patrique coaevus,  
Deque DEO verus DEUS, et de Lumine Lumen,

60 Est et uterque aequé Omnipotens, Aeternus u-  
terque.

Omnipotens, Aeternus, item est qui Spiritus al-  
mus

A Patre, et Verbo procedit, tanquam ab eodem  
Principio, sine principio, nec Filius, ipse,

Nec genitus; DEUS est tamen, et Spirabile Numen.

65 Nec tres Dij, tresve Æterni, tresve Omnipotentes Sunt, aut tres Domini. Quin contrá, est ut DEUS unus

Unus item Æternus, Dominusque est, Omnipotensque.

Una est Majestas, eademque potentia, et unus Quotquot sunt rerum, Magni et moderator Olympi.

70 Sed quid ego hæc balbutire impurissimus ore? Ipsi en coelestes Genij proni, atque stupore Attoniti ingeminant ter Sanctum; plura nec audent.

Impuro, turpi digitum ori impono, silesco.

**JUSTITIA.**

REDDET UNICUIQUE SECUNDUM OPERA EJUS.

Ad Rom. 2. V. 6.

**CARMEN X.**

Credite Mortales: DEUS est Justissimus unus:

Unus falli unquam, flecti unquam nescius ille est.

Nempé DEUS: Lux est: licis ritu omnia lustrat,

Et fugat, et laté circúm omnes discutit umbras.

5 Quim tenebrosa etiam humani penetralia cordis

Rimatur. Quidquid clam pectore; menteque volvis,

Ipsè videt. Nullas fas hic innectere fraudes, Nec jam mercari, aut emptos obtrudere testes, Insanumve forum, falsa aut tabularia possis.

10 Non ille aut damnare pios, aut solvere sontes Ignorans quit agat temeré delusus iniquis Testibus. Humanus nempé hic, et pessimus error. Deindé odium nullum, nulla illum gratia flectit.

Non patitur quemquam peccare impuné. Perindé

15 Ipsi est quidquid eris, seu Rex, sive infima plébes.

Quidquid sint homines, coram illo nil sumus omnes.

Non quid quis fuerit, sed quid quisque egerit unus,

Expendit, libransque aequato examine lances, Proemia, pro meritis, aut poenas cuique rependit.

20 Fert equidem dextrá palmas, enseque sinistrâ; Ipsius ad nutum volat atra, et jussa facessit Mors. Idcirco homines aequo pede proterit omnes,

Et nihil Horâs, Reges nihil illa veretur.

Quid DEUS? Haud equidem passim excandescit in horas,

Mors hominum; sed enim quamquam est lentissimus irâ,

25 Irâ terribilis DEUS est, irâque tremendus. Canctatur, silet, exspectat multumque diúque; Prorumpit demúm, et quas dudúm continet iras Effundit. Veluti indignatur, et aggere rupto,

Quo stagnabat iners olim, et sine murmure tandem

30 Ingens praecipitat spumoso vortice flumen,  
Secum iras, stragemque ferens, sonitumque metumque,

Et certam sylvis, gregibusque virisque ruinam.  
Vix illac Pastor stans forte in vertice rupis  
Evasis, stragemque oculis exterritus hausit.

35 Nec meminit jacturam ovium, pecorumque suorum:

Nam sibi adhuc horrens totus, montique veretur,  
Sed nihil ista, nihil. Majores aggerat iras  
Omnipotens. Immortales accendit ignes  
Jussit, et angusto, et tenebroso carcere condi,

40 Qua coit in centrum Tellus. Furit intus anhelus  
Ignis, et obstructae horrescant lugubrius umbrae

Né tu Tartareum Phlegetonta, annemque severum,  
Neve puta hic Stigiam pigram tritemque paludem.

Ludicra sunt isthaec. Urunt illi acrius ignes.

45 Majores multo quam quas finxere Poetae  
Solvuntur poenae. Quenam sint vera docebo.  
Tum cum de nihilo DEUS orbem, et cuncta vocabat.

Angeli in omnipotentem conspirare superbi  
Ausi, praecipites acti, subiere profunda.

50 Et primi tum supplicia illa hausere tremenda  
Hi sunt Tortores hominum: torquentur et ipsi.  
Immanes heu tortores. Quis mille nocendi  
Artes, insidiae mille et saevissima semper

Et mixta invidiae rabies: quod mitior usque est,  
55 Erga homines DEUS, et nec promptas exerit iras

Nec statim ut peccant cogit jam pendere poenas.  
Quin ut poeniteant rogat, invitatque benignus;  
Nec nisi post seram vult plectere crimina mortem.

Ergo indignantes ille in miracula rerum

60 Transformant se se. Tygres modo sunt, modoque ursi,

Impastique lupi, atque unguis rictusque minaces  
Exsaturant odij, ululantque et morsibus haerent.  
Fit jam qui nuper Tygris de Tygride vultur,  
Sanguinem edax inhiat miserorum, et viscera tundit.

70 Ast alij induti farias et terga draconum,  
Vipereos stringunt ad pectora collaque nodos.  
Sed quis fando, illas queat unquam dicere poenas?

Aut infanda ullis tormenta includere verbis?  
Eminet in poenis hoc unum, et acerbius hoc est,

75 Quod nunquam miseri sperant finire dolores.  
Heu! Suspirabunt mortem, mortemque vocabunt  
Iacassum! Abserti nunquam absumentur ab igne!

Semper erunt, vincti vinctis, tractisque catenis,  
Inter conjunctas ultoribus ignibus umbras,

80 Inter et ultrices vivaer sulphure flammaz.  
Hæc DEUS in fontes nolens, et penæ coactus.

Sed quomodo ultro ille pijs ingentia praemia,  
palmas

Dividit, et ficit immensum, aeternumque beatos?  
Obstructas coelorum olim, nullique patentes

85 Ipse suo asperas confregit sanguine portas.  
 Jamque manent secura pios felicia regna  
 Quò prior ascendit conspersus sanguine Victor,  
 Inter plaudentum choreas, citharasque canentum,  
 Tympanaque, et sirepitus inter fremitusque tur-  
 barum,

90 Quosque alios faustos late plusque jocosque,  
 Undique concrepuit totus laetissimus orbis.  
 Divitias Regum spernunt, Opulentiùs illi  
 Regnant, Sublimes Solem ipsum et Sidera cal-  
 cant:

Nulli ibi sunt gemitus, aut luctus. Quidquid  
 acerbi est

95 Inter mortales, illis longè exulat oris.  
 Nam lachrymas DEUS ipse manu detergi amica  
 Sanctorum ex oculis. Procul hinc Letumque La-  
 borem

Angorque et Maeror teterrima nubilla et omnes  
 Quae tacitae rodunt mortalia pectora curae.  
 100 Risus ubique, et ubique lepos, et plena voluptas,  
 Tutaque jam tentant sanctissima gaudia pectus.  
 Regnat ibi Pax alma, et adhuc placidissima  
 vultu,

Quamvis cara Fides, quae vix vestigia quondam  
 Impressere sui titubata, fugacia, Terris.

105 Regnat ubique et Amor. Solis nam sedibus illis  
 Est sincerus Amor. Beat ille hilaratque Beatos.  
 Non sic se se aliquis, quin tantum diligit omnes  
 Felices Socios, fortunatasque sodales.

Alter in amplexu alterius suavissimus haeret,  
 110 Exsultant, plauduntque sibi, gaudentque vi-  
 cissim,

Alter et alterius gestit, saltatque triumphis.

Deliciarum sed tantarum fons et origo  
 Ipse illis DEUS est, felices cominùs illum  
 Aspiciunt: nam cesserunt aenigmata, et umbrae;

115 Quae procul accessu Divini Luminis arcent,  
 Mortalesque habetant visus, oculosque profanos;  
 Illi autem totum aspiciunt, totoque fruuntur:  
 Nec capit humanum tam grandia gaudia pectus.  
 Vos ó! Felices estis, nimiumque beati!

120 Felicesque eritis donec DEUS altus Olympo  
 Regnavit, sceptrumque manu imperiumque tenebit!  
 Omnipotentem ó! Magnificum! Qui praemia  
 tanta

Invitus poenas, sed praemia dividit ultró.

**PROVIDENTIA.**

VESTRI AUTEM CAPILLI CAPITIS OMNES NUMERATI

SUNT.

*Math. 10 V. 30.*

**CARMEN XI.**

Et Pater, et Dominus DEUS est, Sublimis  
 Olympo

Et circumspiciens terras inde arduus omnes,  
 Se circum effundit, ceu Sol et humillima quæque  
 Respicit, et nutrit, recreatque, fovetque calore:

5 Excubias agit insomnes noctesque diesque  
 Providus, et toto DEUS unus sufficit orbi

Omnia sunt illi curae, et nil negligit unquam,  
Nec cadit in laqueum, illius sine numine, passer  
Nil tamen haec angit, nihil illum haec cura fati-  
gigt.

10 Praecipue nobis mirum est ut providet ille,  
Uteumque exiguae res sint, utcumque minutae,  
Si modo nos homines tangunt, aut tangere pos-  
sunt.

Sollicitant illum: sumus et sua maxima cura:  
Dissimulat certe, et tacitus plerumque silescit

15 Quidquid agant homines: nec confestim irruit  
ulter.

Nec manicas manibus, pedibus nec vincula nectit,  
Nec Libertati sceleratos impedit usus.

Interea ille tamen placido regit omnia nutu  
Quidquid contra homines tendant, frustaque re-  
pugnent.

20 Net fila ipse manu, stamen sub tegmine texit:  
Et quamvis rumpi interdum, invertique videntur:  
Nunquam fila tamen caepto de tramite aberrant.

En puerum Hebraeum tetro de carcere raptum  
Evehit ad solium. Tota illum Aegyptus adorat

25 Sublimem curru, et diademate tempora cinctum,  
Ea quorsum fraterna odia, et quorsum impia  
vincla!

Ipsi illum fratres prono jam poplite adorant,  
Olim quem Puerum insontem et nil tale meren-  
tem,

Pest intentatam crudeli funere mortem,

30 Nil veriti tanquam vilem venundare servum,  
Et paria Annales millena exempla ministrant.

I nunc et dubita, DEUS an mortalia curet!

An nullo Rectore fluant caeco omnia casu?  
Aude, inferque DEO lucem, sancitoque leges,  
35 Queis melius deinceps regat, et sapientiùs orbem.  
Ille quidem sinit interdum se extollere fontes.

Divitijsque onerat multis, et prospiciat auro;  
Interea sinit in vinclis, luctuque jacere,  
Paupertate premi, rerumque esse omnium egenos,

40 Vexarique pios. Hoc tu miraris, et audes  
Cùr hoc tam lentus patiat? poscere causas.  
Tu ne quid expediat monstrare, DEUMque do-  
cere?

Quae sint, quae fuerint, quanam et ventura  
sequentur

Quaeque forent etiam, paullum si verteret ordo  
45 Qui nunc est rerum videt, et DEUS aspiciet unus.  
Tu quis homo es? Num tu ista vides, et cernis  
acutus?

Dic mihi, si nosti, quanam ex parte aëra rupit,  
Quod tete afflavit vibratum fulmen ab alto?  
Quamve viam tenuit volitans nervo acta sagitta?

50 Quosve Maris fluctus veniens fidit uncta carina?  
Ergo agè sume tibi Mundi Rectoris habenas,  
Et certas praescribe vias, et dicito leges,

Queis Sol, Luna, suos peragant et sidera cursus.  
Heù miseros, caecosque homines! Nil cernere  
totum

55 Nec sua, nec semet regere et bene nosce, e possunt!  
Jam pridem miseros, caecosque ab origine prima  
Nos miseri et caeci primi genuere parentes,

Nigra albis passim confundimus albaque nigris.  
Nescis heù nescis quae poenae sontibus instant

60 A tergo, nec quanta Pios spectantque manentque



Praemia. Quem cernis sublimem incedere curru  
Isacidem Puerum sceptrum et diadema gerentem;  
Num miraris adhuc quondam traxisse catenas?  
Quin nihil ista inquis, si gloria tanta manebat.

65 Quid si conspiceres et dona et regna beata,  
Quae parat ille pijs? Quid si tormenta nefanda,  
Et poenas quibus exercet, torquetque nocentes?  
Desine, qui fecit regas ipse, et temperet orbem,  
Ille quid expediat melius te, atque omnia novit.

70 Praeterea urit amor nostri, curaeque pater-  
nae

Exercant illum, mentemque oculosque benignos  
In nos intentos habet, et nec dimovet unquam.  
Num teneri Infantis capientis obliviam Matrem? (a)

Fac capiant: Pueri fuerit fac inmemor illa;

75 At non ulla tui mihi par oblivio repet,  
Cura tui nostro nunquam de pectore abibit:  
Alte infixam manens nunquam haec mihi cura re-  
cedet.

Sic DEUS ipse suum nobis testatur amorem.  
Quis tantum sperare unquam, aut quis credere  
tantum?

80 Sed quatenam ulla suum Puerum sic Mater ama-  
vit

Sollicita ut viles velit aut numerare capillos,  
Aut curare etiam Puero an quis decidat ullus?  
Ergone tanta DEUM nostri haec quoque cura su-  
bit?

Tanta quidem. Tanto plus nos quam Mater ama-  
vit.

(a) *Isaiae* 49. V. 13.

85 <sup>en de</sup> <sup>stare, quic</sup> <sup>et</sup> <sup>stima</sup> suos glocitans vocat anxia pullos,  
Amplexuque fovet blando, et circumtegit a-  
lis, (a)

Sic DEUS (exemplum DEUS hoc nos ipse doce-  
bat)

Errantes licet usque vocat gemituque requirit  
Anxius ut veniant: obsurdissentibus ipsis,

90 Invitisque ipsis blandissima tegmina pandit  
Alarum: ingratosque etiam recreatque fovet-  
que,

Atque sua circum materna protegit umbra.  
Mirarisne DEUM se se his componere rebus  
His uti exemplis? Nil dedignantur Amantes.

95 Quisquis vos, inquit, conatus laedere, tangit,  
Pupillam ille mihi pungit fodit impius ipsam. (b)  
Haec tenus ingratos homines DEUS almus ama-  
vit?

Haec tenus et solers, et nos, et nostra tuetur!

(a) *Mat.* 23. V. 37.

(b) *Zachar.* 2. V. 8.

SAPIENTIA.

OMNIA IN SAPIENTIA FECISTI.

Ps. 103. V. 21.

INTELLEKI QUOD OMNIUM OPERUM DEI NULLAM  
POSSIT HOMO INVENIRE RATIONEM: ET QUANTO PLUS  
LABORAVERIT AD QUÆRENDUM TANTO  
MINUS INVENIAT.

Ecclesiastes cap. 8. V. 17.

CARMEN XII.

Omnipotenti olim eum de nihilo extudit orbem  
Astutit infinita quidem, at non sola Potestas:  
Adfuit indivisa comes Sapiencia, et ipsa  
Artificis quasi dextra manus fuit Omnipotentis.  
5 Omnia quae fecit, librato pondere fecit,  
Mensuraque DEUS justa, numeroque pependit  
Mentis et Artis opus Divinae est orbis et unus  
Qui fecit, novit, qui facta Machina Mundi.  
Admirari homines fabricam hanc bene possumus;  
Ultra

10 Siquil conamur; siquid molimur et artem  
Qua meditatus eam DEUS est callere putamus  
Nempe insanimus, caput insanabile nostrum est.  
Quid sanus quatenam fuerint primordia Mundi?

Stellae cuiuscumque, ruimusque in praelia, ritu  
Vel quae en, et quisque suas vult figere leges:  
nempe nos plaudit; damnat diversa sequentes:  
Haud pro et risu nos nostra explodimus ipsi,  
adumusque alios, irridemurque vicissim.

75 In Mundi centro Terra olim immobilis haerens  
20 Pigra quiescebat: sibi nasci et surgere Solem,  
Atque mori, inque vices alternam sutgere Lu-  
nam

Et totos coelorum orbis, et Sidera volvi  
Circum se in gyros, stans ipsa immota videvat.  
Nunc jam Tellurem placuit de sede movere,  
25 Inter et errantes illam annumerare Planetas.  
Segnitiei ipsam tandem, piguitque quietis:  
Quantum olim deses; praepes jam turbinis instar  
Vertitur, immensa est, qua volvitur, orbita,  
cursu.

Interea sopor ingens, socordia Solem  
30 Invasit, segnis torpet, languetque quietus  
In centro, tellus ubi quondam tarda jacebat.  
Vix super axe suo viginti et quinque diebus.  
Convolvit se se paulatim, aegræque rotatur.  
Ut fessum mutat latus, insistens et eidem

35 Usque loco, et cubito innixus vix volvitur aeger.  
Quin Telluris item saepe est mutata figura.

Sphaera fuit quondam tota undique, tota ro-  
tunda;  
Crescere dein partim coepit, decrescere partim,  
Instar ovi facta est. Primo qua desinit axis

40 Qua polus immensos orbis sustentat uterque  
Plana fuit: sic jusserunt Neutonius et Huigens;  
Contra est nunc; bino se vertice porrigit, illac,

Quá Mundi cardo est, verte.

Austri;

Atque Equatorem versus depresso <sup>re</sup> curru

15 Passim invertuntur sic pro nostro omni;

Ad libitumque novas leges imponimus omni.

O bene quod nunquam nostra haec mandata  
cessit.

Et surdas nostris opponit legibus aures!

Deliramenta, et mera sunt insomnia quidquid

50 Ignari andemus. Si nostris legibus iret

Orbis, jam dedum pessum, et susdeque ruisset.

Divina omnino est qua stat Sapiencia Mundus.

Qua ratione illum Omnipotens compegerit olim,

Quave illum, postquam fecit, ratione gubernet,

55 Caligo alta est, nosque latet semperque latebit.

Quantó plus homines insudent, plusque laborent

Tanto equidem minus invenient: (a) pejusque la-  
badunt,

Tum cum jam pedibus erudent se insistere firmis.

En coelo (nam stellarum nec nomina scimus)

60 Ursas intulimus, Taurosque Caprosque bicornes,

Atque Leonem, et Delphinum, Canerumque Lu-  
pumque,

Atque Canem, atque etiam Leporem, pluresque  
Dracones,

Et vix non totidem quot sunt animalia terris,

Sic balbutimus, sic et blateramus ineptil

65 Nec quot sint coelo stellae numerare valemus.

Unus et ipse DEUS numeravit nomina quique (b)

(a) Eccles. 8. V. 17. et ultimo.

(b) Ps. 146. V. 4.

Stellae cuicumque appellat, numerosque recensat.

Vel quae calcamus pedibus, manibusque te-  
nemus

Haudquaquam capimus. Mens, Ars Divina re-  
fulget

70 In minimis etiam, quae nos praetervolat omnis.

Abjectis etiam in rebus Sapiencia prorsus

Digna DEO est nullaque humana imitabilis arte.

En parvum culicem. Quid toto vilius orbe est?

Et tamen ille cibos manducat, concoquit: alvus

75 Illi est, osque, cibus sugendis, atque coquendis

Sunt oculi gemini, pectusque animique viriles:

Bellator gestat galeamque tubamque sonantem,

Quam procul audivimus cum necdum cernimus

ipsum

Sex, octove pedes insunt, si forte libebit

80 Ire pedes. Sed multivagis quatit aera pennis,

Audet et adversos contra ire, laessere ventos.

Praeterea arma etiam stimulumque proboscide

gestat,

Quem trux infigat totum, totumque cruentet,

Siquis ab exiguo sibi non bene caverit hoste.

85 Mole culex minor est alius: fert lampada secum

Ardentem, volat innocuus, non vella ciere

Non inflare tubam, stimulumve infigere novit;

Nam solis bellum movet, indicit quae tenebris,

Nec patitur circum se atram nigrescere noctem:

90 Noctivagam alatum taedam fert ille, facemque.

Hunc America ferax, cum ver se se explicat al-

lum

Prognit passim: credas ab sulphure vivo

Accendi flammam, quas parva continet alvo.

Abcondit lucem interdum, dein rursus eandem  
 95 Accendit quasi ludo aliquo, et sic lumine nictat  
 Ut clausis oculis nos et nictamus apertis.  
 Nec multum pennis se se arduus erigit ille:  
 Impubes aetas passim puerique sequaces  
 Cum clamore ruunt multo, manibusque prehendunt.

100 Rarum aliquem credas manibus portare pyropum;  
 Portant captivum cunicem, et modo vita supersit,  
 Non illum fulgore Adamas, acquetve Pyropus.  
 Ludit in orbe DEUS. Sed quanta in lusibus  
 ipsis  
 Ars est! Artificis summi? *Sapientia summa est.*

**PULCHRITUDO.**

QUORUM SI SPECIE DELECTATI DEOS PUTAVERUNT:  
 SCIANT QUANTO HIS DOMINATOR EORUM  
 SPECIOSIOR EST.

*Sap. 13. V. 3.*

**CARMEN XIII.**

Si quis pulchri Hominis nil miraretur, et unam  
 Quam jacit á tergo peramaret perditus umbram,  
 Et repens pedibus, pecudum de more, quaternis,  
 Inter blanditias inter mulcentia verba,  
 5 Amplexus mille, et mille cseula porgeret umbrae:  
 O quantae sannae in miserum, risusque creparent!

Increpitare etiam dementem cuique liceret:  
 Quid facis ó! Quae te miserum dementia coepit?  
 Quid frustra demens fugitivam amplecteris umbram?

10 Si tamen illa tibi potuit formosa videri,  
 Nonne vides quanto Dominus formosior ipse est?  
 Hunc sequere, hunc et ama. Sed nos committimus ipsi

Haec eadem, quae tantoperé objurgamus acerbi  
 Censores: furor idem, idem nos fascinat error,  
 15 Atque eadem jam nos pridem dementia coepit.

Umbras insani sectamur, amamus et umbras.  
 Repimus, et lippos oculos vix tollimus unquam  
 Ad rerum Dominum, et cum sit Pulcherrimus  
 unus

Ille, illo nobis formosior umbra videtur.  
 20 Sunt, fateor, Coeli, Sol, Luna, et Sidera pulchra:

Stulti homines specie capti, attonitique putabant  
 Esse Deos; at debuerant cognoscere, *quanto*  
*Qui Solem accendit, Sole est speciosior ipso.*

Ast apáge ista inquis: jam pridem insania tanta,  
 25 Excussa est, tantus jam dudum evanuit error  
 Esto; et nec Solem jam homines nec Sidera  
 adorent.

Quid juvat hoc, pejora sibi si Numina fingunt  
 Pejoresque Deos quam sunt Sol, Sidera, Luna?  
 Foemina quae placuit Deus en mortalibus una  
 est.

30 Haec, Luná, Aurorá, Sol est et pulchrior, ipsis:  
 Hanc (ipsi ut dicunt, ultróque fatentur) adorant.

Eja age, et huicce tuae pulchrae bellaeque puellae

Deme animam. Quid jam superest? En triste cadaver.

Extinctosque oculorum ignes, et lilia frontis  
35 Pallida, pallentesque genas! Jam murice toto  
Livent amisso, et malè hiantia labra dehiscunt!

Omnia foedavit subito Mors impial! Quantam  
Heu cladem! Tertèr successit pallor, et horror,  
Incubuitque super tam foedae stragis acerbum!

40 Aruit ut foenum caro, et ut flos, marcuit agril  
O ubi nunc demum decor ille, et laeta venustas?  
Nempe haec praestabat qui spiritus intus aebat,  
Haec dabat illi Anima et totum, haec abeunte,  
recessit

Egregium decus et formosi gratia vultus.

45 Umbra et imago DEI, Divinique halitus oris  
Est Anima, Haec jam compendibus, vinculisque  
soluta

Corporis, ut recreat se se! Et quae vincula rupit  
Quaeque diu traxit, nec sensit, libera tandem  
Miratur! Meminit coelestis originis, ardet

50 Et properare fuga, et scelerata excedere terrâ,  
Illaeque, unde fuit sibi origo prima, reverti.  
Pulchrior est cunctis coelestibus ignibus: illam  
Attoniti coelorum orbés mirantur euntem.

Quacumque incedit, pro floribus aurea spargunt  
55 Lamine, consternuntque viam, pedibusque beatis  
Sidera supponi et calcari ardentque petuntque.  
Tanto Sidereis Anima est formosior astris!  
Conjice si poteris quantò formosior ille est,  
A quo processit tanquam levis halitus, ille

60 Spiritus, et ejus mera vix est umbra et imago.  
O DEUS, quotquot sunt Formosissime rerum!

O si fas oculos hinc ad te attollere nostros!  
Illicet ah quantum sorderent omnia nobis!  
Pulchra suapte ad se se oculos rapiuntque  
trahuntque,

65 Et Pulchri unus inest amor omnibus una voluptas.

Sed caecutimus nec quae sint pulchra videmus:  
Decipimur miseri, et larvatis ludimur umbris.  
Mentita specie capimur, formaque caduca,  
Quae senio, morbo tabescit, flores et instar,

70 Decidit, aut uno Mors illam demetit ictu,  
Atque immaturae falcem supponit aduncam.  
En de vultu ipso faciunt jam pavula vermes:  
Itque reditque: suosque ibi textit aranea casses.  
Forsitan ingratum nobis intrare sepulchrum:

75 Fac vivat, vigeat Mulier formosa, juventâ:  
Et candore nives, ut vis, et lilia vincat.  
Fac, charites veniant ipsae, admixaeque laborent  
Usque ad miraculum pulchros effingere vultus.  
Forte Helenam faciant, nova sint incendia Trojae

80 Hectoreae certent, Agamemnoniaque phalanges:  
Scuta virum, galeasque, et trunca cadavera volat  
Rursus, et horrescant Simoenti à sanguine fluctus:  
Dux erit et tantae pulchra una haec foemina eladis.

Nulla unquam strages, aut pestis acerbior orbem  
85 Vastavit, nulla aut tam dira incendia, flammis  
Tot Populos unquam, tot Regna exhausit et urbes.

Foemina principium luctus fuit una, malique:  
Unaque Mortales nos foemina perdidit omnes.  
Hanc tamen, hanc homines furiosi ardent, et adorant

90 Posthabito Te, contemptu, DEUS alme, nefando,  
Sacrilego nunc thure calent adolentur et arae,  
Et prope Divini carni cumulantur honores.

Tu DEUS hanc tam flagitiosam discute nocentem:

Impera, et has Clemens tam caecas pelle tenebras

95 Ex oculis hominum miserorum, oculisque medere,  
Caecique et stolidi stimulos avertito amoris.

Te DEUS alme; unum Te cernere, Teque videre  
Felices faciet nos, et sine fine beatos:

Nos quoque formosos reddes, pulchrosque, videndo:

100 Ut pulchra est Luna, atque alienâ luce renidet.

Interea DEUS alme, tuo impertire Poëtae  
Divinum Lumen, Divini et Luminis auram,  
Nempe ut de Te uno deinceps jam cogitet, et Te,  
Nam solus tandem *Pulcher* Tu es, diligat unum.

ÆTERNITAS,

IMMUTABILITAS.

APUD QUEM NON EST TRANSMUTATIO NEC VICISSITUDINIS OBUMBRATIO.

Jac. 1. V. 17.

EGO ENIM DOMINUS, ET NON MUTOR.

Malach. 3. V. 6.

CARMEN XI V.

Aspice ut inconstans est, et mutatur in horas;  
Et nunquam Lunae est nec vultus nec color idem.

Æmula nunc fratris, toto, et pleno ore refulget;  
Dimidiata nitet nunc, dimidiata nigrescit;

5 Et nunc obtusis, modo acutis cornibus ardet;  
Nunc tota obruitur, penitusque immergitur umbris,

Jam nusquam apparet, nec fas jam cernere Lunam,

Illius in coelo vestigia nulla supersunt.

Sic et mutantur quae subsunt omnia Lunae.

10 Quin Sol haud constat sibi, nam sordescit opacis  
Obscoenis maculis, nec totas abluet unquam:

Densantur circum fumo, et fuligine crustae,

Et mutat, vortique locum, et consistere nescit.

Omnia vertuntur coelo terraque marique.

15 Unus mutari, maculasque vicesque subire  
Dumtaxat nescit DEUS. Immutabilis, idem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE BUEENOS AIRES

DIRECCION GENERAL DE ESTUDIOS

Qui nunc est, fuit aeternum, aeternumque manebit.

Nondum tempus erat, nec Sol, nec Luna, neque Astra,

Quae metirentur revoluto tempora cursu:

20 Necdum coelestes orbes, necdum Mare; Tellus  
Extulerant caput e nihilo: sed cuncta nigrabant  
Aeternis retró tenebris, altoque sopore

Obruta, nec somno ultró unquam solvenda jacebant;

At DEUS idem et erat qui nunc est, quantus et est nunc.

25 Tempus erit, eúm Sol totus noctescet et alto  
Praecipitata ruent pallentiá Sidera coelo,  
Cynthia formosos tarpabit sanguine vultus,  
Totus concusso titubabit cardine Mundus,  
In nihilamque unde et sunt eruta cuncta redibunt;

30 At DEUS idem et erit qui nunc est, quantus et est nunc.

Quantumvis paleae multae volvantur inanes  
Et nebulae circum, tamen est immotus et haeret  
Mole sua, et multam nubes excedit Olympus.

Non ut homo DEUS annis, aut aetate senescit.

35 Mille anni nihil illi omninó, suntque perinde  
Tanquam hesterni dies, quae jam fugitiva recessit. (a)

Contra homines sumus instar fumi, instarque vaporis.

Qui fugit ex oculis, evanescitque repente.

(a) Psalm. 89. V. 4.

Tantisper sumus: at mora nulla est: fumus abibit.

40 Quantó, qui vivunt, plures vixere, nec ultrá  
Jam sunt? Discussus vapor ille est: transiit umbra,  
Quót sunt vel Reges, quorum vel nomina novit  
Nemo, et vix docti an fuerint meminisse laborant?  
Nec jam soli homines, Populi quoque, Regnaque et Urbes

45 Instabiles ut homo, sunt, intereuntque caduntque.  
Quae fera Carthago Romanis desuper altis  
Moenibus intonuit victrix, Cannisque superba,  
Ex Aniene ipso Tibri insultavit et Urbi,  
Jam nihil est. Mutum quod passim littus aratur,

50 Hoc superest: disceptaturque et opinio vix est  
Nunc: ubinam fuerint quondám Carthaginis arces.

Quid Tyrus, et Sidon? Quid quae miracula Mundo

Tot, sola enixa est Babylon? mera nomina jam sunt.


Ah Babylon, Babylon! Ubi nunc Miracula, et Horti

55 Aërrj? Turres? contermina moenia coelo?  
Nusquam. Restabant quae rudera, tesquaque  
Pardis,

Jam non sunt: ipsa haec periire: et nomina sola  
E tantis aegré, et vix emersere ruinis.

Humanum nihil est firmum. Absumuntur ab annis

60 Omnia: suntque etiam lapides, et saxa caduca.  
Parietibus, Muris, Regnis, atque Urbibus ipsis  
Mors instat: brevis est, velucris et pede volvitur  
aetate.



Unum Immortale est, unum Immutabile Numen,

65 Quod nunquam retró incepit, nec desinet unquam. Finem alij, sed principium nescit DEUS unus. Uni est vita simul tota, et successio nulla, Nullae in Mente vices: neque enim ut nos, cogitat ille:

Divinae Mentis nulla aut conceptio transit,

70 Aut amor aut odium nunc est, quod non erit olim, Aut quod non fuerit retró sine fine per aevum, Non hoc, deinde aliud, fluxa, ut nos, mente revolvit:

Non animus se se studia in contraria scindit Mobilis, aut varius nunc húc, nunc veritur illúc:

75 Mens immota manet, manet aequé immota voluntas:

Et solus DOMINUS sic Immutabilis ipse est.

Ad vocem, nutumque hominis stetit attonitus Sol

Horis bis senis, stetit et contraria Phoebe.

Quot portentificá Moses miracula Virgá

80 Edidit? Omnipotens pené, et DEUS esse videtur:

Aegyptique DEUM Mossem DEUS ipse vocabat. (a)

Praesagire, et magnifico ore tonare futura

Quamquam Divinum est; tamen hunc Mortalibus aegri.

Indulget DEUS interdum, et concedit honorem.

85 At non incepisse unquam, prorsúsque carere

(a) Constitui te Deum Pharaonis. Ex. 7. V. 1.

Principio, et nec verti animo, nec mente moveri.

Hoc est esse DEUM. nec fas concedere tantum

Mortali. DEUS ille est qui non coeperit esse.

Immotaque queat simul amplecti omnia mente

90 Et solus DOMINUS sic Immutabilis ipse est.

### SANCTITAS.

SANCTUS. SANCTUS, SANCTUS DOMINUS

DEUS.

Isa. 6. V. 3.

Apocal. 4. V. 8.

### CARMEN XV.

Audijt Esaias Sacrum hunc paeana canentes  
Coelestes illos Genios, quibus undique senae  
Surgebant alae: velabant ora duabus,  
Velabantque pedes binis, binisque volabant.

5 Audijt ingeminatum ipsum hunc paeana Joannes:  
Et quamvis alias sibi tum sumpsere figuras  
Hic Hominis, Bovis, atque Aquilae illi, atque  
ille Leonis;

Hi tamen Angeli erant et erat quoque carmen  
id ipsum:

Et SANCTUM, SANCTUMque DEUM,  
SANCTUMque canebant.

10 Hoc indefessi ingeminat noctesque diesque,



Et nunquam cantu cessant, nec voce quiescunt  
Cúm sint innumerae quas possent dicere laudes;  
Praetereunt alias; placet hanc iterare canendo:  
Hocque unum, Sanctum esse DEUM, meminisse  
videntur.

15 Scilicet haec tua, SANCTE DEUS, Divina  
voluptas,

Hoc te delectat carmen, laudumque tuarum  
Praeplacet haec, hunc et pacana libentius audis.  
Sanctus es, et Sanctus rursusque iterumque

vocari  
Mavis, quam Sapiens, Immensus, quidquid et  
omne es.

20 Quin malles non esse DEUS. Sanctusque manere,  
Si fieri id posset, siquis DEUS improbus esset,  
Quales mentita est, et quales esse volebat  
Stulta superstitio, plenaque adolebat acerrâ.  
Ante ignesque et aquae se se inter oblita  
prioris

25 Dissidij, coeant, aeternaque foedera jungant,  
Ante dies nocti, et nigris miscbitur umbris,  
Pellere dediscet nox lucem, luxque tenebras.  
Ante ruet totum, quassato cardine, coelum,  
Et tanti casus nos, expertesque ruinae

30 Stellarum, et Solis passim calcabimus ignes,  
Quám te Sancte DEUS tangant contagia culpae.  
Sanctus es et coeli coram Te sidera sordent,  
Nec sunt munda satis. Multo illis puriores Tu.

35 Et norma es: tua Lex Sancta indelebilis haeret  
Usque infixâ animis nostris, damnatque no-  
centes,

Nec silet unquam, aut dissimulat; sed torquet,  
et angit,

Terrificatque animos, et surdo verbere caedit.  
Siquid peccamus, siquid committimus, ipsa

40 Supplicium sibi mens est pravi conscia facti.  
Nam te sentimus praesentem, teque veremur,  
Quantúmvis latebras sceleri quaeramus et um-  
bras,

Sitque sine humano teste ullo, et iudice crimen.  
Sanctus ut es, scelerum quoque es implacabilis  
ultor,

45 Et tua nimirum, tua nos praesentia terret.  
Sancta quoque est tua magna Domus, nec li-  
mina adire

Fas, cuiquamve datum, nisi sancto fine quierit,  
Eluereque omnes, siquas dum vita manebat,  
Admisit sordes. Quod si nondum eluit omnes,

50 Si qua innolescit adhuc, superestve, arcebitur exul  
Ille Domo, Regnoque tuo, et coelestibus oris,  
Exiguam donec maculam longo igne piarit,  
Et nive candidior, luce et sit purior ipsâ.  
Humanum nímium genus est miserabile, et  
ultró

55 (Postquam primaevis nos infecere Parentes)  
Labimur, infirmis gradimur per lubrica plantis.  
Undique circumveniunt nos mille pericula, et hostes  
Immites: laqueos passim illecebrosa voluptas  
Abscondit, clamque aggreditur: furor, iraque  
mentem

60 Praecipitant, multa vi in praecipua omnia vertunt.  
Interea Ambitiq furit, insatiabilis ardet,  
Ardet et argenti nunquam satiata libido,



UNIVERSIDAD AD. V. V. TO  
UNIVERSIDAD AD. V. V. TO  
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Perstringitque oculos splendore, obcaecat et aurum.

Sic increbrescit magis, et magis impia saevit

65 Funesta illius primae contagio noxae.  
Quis queat hanc adæo exitialem avertere pestem?  
Quis mundos facere ex immundo semine natos? (a)

Tu solus, Tu Sancte DEUS, qui tergere labem

Antiquam ut posses, vestitus corpore nostro,

70 Et carnem humanam indutus: moribundaque membra,

Sanguine lavisti. Nam sic incederat altè

Ut nisi Divino non posset sanguine tolli.

Nunc paucis verbis, modicisque absumitur undis

Quae macula Heròas veteres, Sanctosque Parentes.

75 Mille aliquos, alios ter mille atque amplius annis

Post mortem, extorres Patriâ, Regnisque beatis,

Carcere detinuit maesto, et nigrantibus umbris.

Quin modo flagitij nosmet scelerisque peracti

Poeniteat memores poenae, nostrique, Deique,

80 Continuo maculis, quas ultrò admisimus ipsi,

Abluimur rursus verbo, dant verba salutem,

Quae facili et grandi Judex tonat ore Sacerdos.

Usque adæo Sanctus DEUS es Tu! Reddere

Sanctos

Mortales miseros terreno et corpore cretos

85 Tu potis es solus, solus tu crimina tollis,

Efficis et mundos quamvis ab origine prima

Infectos. Tu suceurris, Tu maximus aegris

(a) Job. 14. V. 4.

Auxiliator, opem Sanctam, viresque ministras:

Deinde triumphali victricia tempora lauro

90 Ipse manu cingis; quin plus concedis honoris:

Nam pugilem Victorem in datum Tumet adoptas,

Filius ille tibi Tuus est (Dignatio miral)

Consortemque tuae naturae tu facis ipse

Haeredemque tuum, tuaque ipsum gratia circum

95 Undique et exornat, divino et lumine vestit.

Millia Sanctorum palmis varijsque coronis

Insignes, implent quae plura sedilia coeli

Exturbati olim vacua effecere, ruinâ

Angeli ab aethereis oris in Tartara trusi.

100 Nunc Sanctorum hominum sedes chorus occupat

illas.

Occisi Agni omnes lavere in Sanguine vestes.

Et fulgore nives, Phoebam et lampada vincunt

Ut varios carne induti peperere triumphos,

Sic palmae in manibus variant, variantque coronae,

105 Quae depingendis nulli satis esse colores,

Nulla manus, vox nulla: silet stupefacta; Pœsis,

Arescuntque omnes exhaustae Aganippidos undae.

Omnibus in vultu est, quae se se á pectore fundit

Laetitia, exultant omnes, plaususque sonoros,

110 Et miscent circum choreas, Agnumque sequuntur,

Et SANCTUM, SANCTUM, SANCTUM

ingeminantque canuntque.

BENIGNITAS.

GUSTATE, ET VIDETE QUONIAM SUAVIS EST DOMINUS.

Ps. 33. V. 9.

CARMEN XVI.

Excelsus sedet in solio stellantis Olympi  
 Et premit imperio DEUS, et regit omnia nutu,  
 Et Majestate infinita, Altissimus ille est.  
 Sed non Majestas, non alta Potentia frontem  
 5 Asperat, aspectumve truce[m], vultumve severum  
 Reddit. Non illum excubiae, densaque phalanges  
 Circumstant, atque armata statione coronant.  
 Accessum praebet facilem, nec denegat ulli,  
 Nec gemit exclusum se se mendicus, egenus.  
 10 Interea assueti nos coram Rege pavere  
 Circum armis, circum Excubitoribus undique  
 septo,  
 Ut decet, et fieri omnino, prorsusque necesse est:  
 Quid par, quid majus male commentamur, et  
 instar  
 Fingimus esse DEUM, pompa fastuque tre-  
 mendum,  
 15 Et similem indignanti, et semper acerba tuentem,  
 Semper et irata meditantem fulmina dextra.  
 Ah! Meliora Pija, erroremque hostibus istum!  
 Ingenio comis DEUS est, miraeque benignus.  
 Omnibus hic aditus, onnes portaeque patescunt

20 Ad Regem Regum fas est accedere cuiquam,  
 Fasque loqui, quanto et quo tempore cumque  
 libebit:

Ipsae suas precibus nostris accomodat aures  
 Et nunquam gemitus miserorum audire recusat;  
 Quin potius miseros ultró accersitque vocatque.

25 Vos omnes, quotquot fessi fractique labore.  
 Quique humeris onus, et pondus portatis iniquum,  
 Et gemitis tristes, victique dolore, venite  
 Ad Me omnes, inquit, feram ego solamen, opem-  
 que (a)

Ipsae humeros oneri supponam, vosque levabo,  
 30 Et curas demam, luctusque silare jubebo.

Vix tacitis illum lachrymis, gemituque vocamus,  
 Blandi instar Zephyri, voluerique volucrior Euro,  
 Auxilio venit, et dextram protendit amicam.  
 Segnius optamus nosmet solatia nobis;

35 Ocyor et properat, citior venit ille vocatus.  
 Quin DEUS ipse urget nos, ut quaequumque  
 volumus

Poscamus: fiet, inquit, quaequumque petetis.  
 Si montem fortasse aliquem ab radicibus imis  
 Tollere, et avulsum in Mare praecipitare velimus;

40 Nulla mora in Domino est: fiet, modo rite pe-  
 tamus. (b)

Quantó est plus Solem stare aut incedere retró?  
 Hoc et fecit utrumque, stetit, retróque recessit.  
 Prospicit é Coelo, (c) quasi curá agitatus amoris;

(a) Math. 11. V. 28.

(b) Math. 21. V. 21.

(c) Ps. 13. V. 2.

Númqui homines illum agnoscant, illumve requirant?

45 Declinaverunt omnes, (a) et terga dedere.  
Quid DEUS? Abjiciatne, et justas surgat in iras?  
Parque pari referens, obliviscatur amoris  
Usque (ut ita hoc dicam) infelicis, tergaque vertat?

Ah! Nostri meminit figmenti. (b) Et nil minus ille

50 Quám nos abjicere; indignari, et vertere terga.  
Quin dolet, et sortem ex animo miseratos iniquam,  
Quam temeré primi novis fecere Parentes,  
Vertentes terga exquirat, sequiturque fugaces,  
Quos longé, ab se se aversos malus abstulit error.

55 Errabundam ut ovem, et per devia quaeque vagantem,  
Sollicitus quaerit Pastor, vestigia lustrans  
Per dumeta, per et vepreta, per aspera quaeque.  
Et quamquam fessus tam longo errore viarum  
Sudat; nec vultum meminit sudore madentem

60 Tergere, nec Solis furias actusque veretur,  
Nec gelidam noctem, matutinamque pruina.  
Interdum dulci canit ore et arundine carmen,  
Si cantum fortassé, et vocem agnoscat amiceam.  
Invenit tandem. Quanta, et quae gaudia miscet!

65 Ipse humeris portat, cunctosque accersit amicos,  
Certatim ut secum solemnia gaudia jungant.

(a) Ps. 13. V. 3.  
(b) Ipse cognovit figmentum nostrum. Ps. 102, V. 14.

Non noster Rex aut Dominus DEUS esse videtur:  
Sic est humanus; sic se demittit amori.

Servi humiles sumus ipsius; sed non placet illi  
70 Dicere se *Dominum*; nec vult nos dicere *servos*. (a)

Nos illum *Patrem* docuit nos ipse vocare,  
*Filiolosque* modó, et nos appellat *amicos* (b)  
Quidquid in humanis dulce est, et suave, et amoris

Plenius, hoc avidus sibi sumit, et arripit omne.

75 Adseivisse sibi dulcissima nomina *Amici*.  
Et *Patris* magnum ergá nos necdum implet amorem.

En tanquam sponsus Dominus! Quid dulcius hoc est?

Sanctam Animam *Sponsam* vocat, et vocat ille *Sororem* (c)

Dilectamque suam, et Pulchram, blandamque columbam. (d)


80 Surge veni speciosa mea, et mea casta columba. (e)

Inque foraminibus petrae faciam tibi nidum, (f)

Quó Milvo praedone procul segura quiescas.

Ostende ó! faciem, tua fac sonet auribus et vox: (g)

(a) Job. 13. V. 15.  
(b) Cant. 4. V. 1.  
(c) Ibidem.  
(d) Job. 13. V. 33.  
(e) Cant. 2 V. 13.  
(f) Cant. 4. V. 12.  
(g) V. 14.



Nam tua vox est quám dulcis, faciesque decora.  
85 Sic DEUS ipse, DEUS suavis blanditur, amat-  
que!

Quis nisi Divinis libris haec scripta legendo,  
Talia vel dici vel scribi posse putaret?  
Et quænam tandem tutae illa foramina petrae  
Sint, nisi quæ manibus, quæ pectore vulnera  
gestat?

90 Descripsi in manibus te inquit: (a) descripsit, et  
alté

Insculpsit: nec jam possit suá vulnera cernens,  
Non meminisse mei. Minus hoc; plus vulnera,  
mortem

Pro me ferre; tulit, clarisque et sentibus horrens,  
Divinum inclinans fessum caput, expiravit.

95 Omnino et nos ut DEUS, et sine limite amavit!  
Interea, ahl homines stupor execrabilis urget  
Et benefactorum fera non adéo immemor ulla est,  
His obsurdescunt, capere et nec posse videntur.  
Et quid ego hæc surdis cano frustra et perdo  
laborem?

100 Ad fuerit saltem veri experientia testis  
Vos ó! Mortales capere experimenta, venite,  
Vosmet, quám suavis DOMINUS, gustate, vi-  
dete.

(a) Is. 49. V. 16.

QUI FACIT MIRABILIA SOLUS.

Ps. 71. V. 18.

### CARMEN XVII.

Nil admiramur nisi rarum; caetera crebró  
Vilescunt usu. Dubia vix luce Cometa  
In coelo apparet, certátim accurrimus omnes  
Suspensosque aspectu oculos, animosque tene-  
mus;

5 Nec piget insomnem observando ducere noctem.  
At Solem nil miramur, nec Sidera, quámvis  
Quæ miraremur tantó plus digna; sed illa  
Vidimus á pueris, dudúmque assuevimus illis.  
Huic morbo DEUS ut medeatur, nosque yeterno  
10 Excitet et somno excutiat, miracula magna  
Extenta interdum edit dextra, et verberat aures  
Tanquam magno aliquo tonitru, grandique fra-  
gore.

Quam Gentem DEUS é reliquis sibi legerat  
unam

Relligione piam, sanctisque Parentibus ortam

15 Vexabat Pharaó, dura et ditione premébat  
Captivam. Totam sensim delere parabat  
Impius electam stirpem, atque absumere totam  
Servitio addictam infami, insanoque labori.  
Armavit Mosen virgá DEUS, ireque jussit,

20 Et portentorum magna vi rumpeo vincla  
Captivi Populi, et Regem terrere superbum.

Si scires quantam, heul quantam Rex impie cladem

Et tibi, et Ægypto toti virga illa ferebat!

Principio in columbrum immanem conversa, minacem (a)

25 Exsertans linguam, improvisaque guttura pandens,

Dentibus indignans, infrendensque ore voravit

Quos similes fecere Magi, aut finxere dracones.

Percussus virgâ tabo, obscenoque cruore (b)

Infectum se se obstupuit septemflus amnis.

30 Interclusi animam, suffocatique repenté

Interiere omnes sanioso in sanguine pisces.

Stagna lacus, fontes manabant sanguine putri,

Nec sedare sitim fas, aut restinguere lympha.

Dein virgâ Nilus rursus percussus eâdem

35 Foedam colluviem densissimaque agmina fudit

Ranarum. (c) Totam subitô urbem, compita, calles,

Interiora etiam et secreta cubilia, mensas

Atque dapes, spissi glomeratae pulveris inatar,

Miscentesque atrox, et illaetabile murmur

40 Omnia complebant, foedabantque omnia ranae.

Dein Culices, (d) dein Muscarum genus omne, nigrante

Turbine, et obscuro nimbo coelum omne tegebant,

Et noctem ex oculis, exoptatamque quietem

(a) Exod. C. 7. V. 10

(b) Exod. C. 9 V.6.

(c) V. 23. et seq.

(d) V. 20.

Et somnum, stimulo, et multo stridore fugabant.

45 Successitquo mira in pecudes saevissima pestis: (a)

Lanigerique greges, et passim armenta jacebant

Per campos, tetro inficiebant aëra tabo.

Affixit nova deinde lues pecudesque virosque,

Sordida serpebant, gliscebant ulcera, foedi

50 Manabant, arrodebant carnem, ossaque vermes.

Nec verô hic juvere Magos (b) praestigiae et artes.

Circacae, probrosam hanc ab se avertere pestem

Nullis carminibus miseri potuere, nec herbis.

At Rex (c) nec mentem iusanam, nec ferrea corda

55 Exuerat, promissa dabat, promissa negabat.

In coelum intendit Moses virgam (d) illicet omne

Horruit, et justas coelum assurrexit in iras.

Antehac vix tonitru auditum, et vix cognita grando

Ægypto: iratum coelum vix viderat unquam.

60 Tum primûm elisos in terram é nubibus ignes

Vidit et obstupuit saxosum grandinis imbrem,

Et coeli irarum plenum horrisonumque fragorem.

Depopulabatur Silvas vastabat et agros

Grando, dejectae pini, cedrique ruebant

65 Cum gemitu: diram intentabant omnia mortem.

Rex incusabat se se, et recipiscere tandem (e)

Velle videbatur; sed vix terrore solutus;

(a) V. 10.

(b) C. 8. V. 6.

(c) V. 17. et 24.

(d) V. 12.

(e) V. 27.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Rursus ad ingenium vecors, fraudesque redibat,  
Ecce Locustarum novus et spississimus im-  
ber (a)

70 Ad virgae nutum irruit, et quae grando reliquit  
Omnia consumpsit, pessumdedit omnia dente.  
Lugebant campi, camposque effusa per omnes,  
Perque domos etiam nubes inimica volabat,  
Alatamque famem Ægypto, excidiumque ferebat.

75 At Pharaos, necdum ingenium, aut desuescere  
fraudes.

Rursus ad imperium Mosis, virgaeque vo-  
cantis,

Ineubere repentinae, horrendaeque tenebrae,  
Quas sentire manu, quas attrectare licebat,  
Et quales nunquam retró olim viderat orbis.

80 Nulli accensi ignes poterant, funalia nulla  
Aut lucem impertiri aliquam, aut solatia ferre,  
Aut tam crudelem, et tam spissam vincere noc-  
tem (b)

Terribiles visu formae, larvaeque tremendo (c)  
Et sonitu circum et vultu horroremque metumque

85 Angebant. Lux interea placidissima, grandi (d)  
Miraclo, Hebraeis, medijs ridebat in umbris.  
In media Ægypto, nullam sensere priorum  
Plagarum, nullas et nunc sensere tenebras.

Predebat se se, et palám erat manus Omnipot-  
tentis.

(a) V. 4.

(b) C. 10. V. 13.

(c) Sap. 18. V. 1.

(d) V. 22.

90 At gravior clades, magé tristis plaga manebat.  
Quotquot erant primi geniti, et spes prima pa-  
rentum. (a)

Cui Pharaos haeredi sceptrum, et diadema parabat,  
Quique ad pristinum natus, modo primus in auras  
Exisset, cunctos mors, et nox abstulit una.

95 Heu quantam, et quam tristem cladem! Funera  
ubique,

Clamoresque et singultus, et Matrum ululatus!  
Tum demum victus Pharaos, (b) concessit abi-  
rent

Hebraei: et jam bina illos praecunte columna  
Ibant; sed necdum multum processerat agmen;

100 Poenituit Pharaonem. Ipse, innumeraeque pha-  
langes,

Et quot erant Currus, (c) et equi, atque exerci-  
tus omnis

A tergo instabant, nova rursus neclere vincia,  
Atque iterum totam captivam adducere gentem.  
Ut vidit Moses venientes, sustulit alté

105 Virgam et Erythraeos percussit verbere fluctus.  
Túm veró, Mare divissum (mirabile dicta!)

Terram inter fluctus, nudamque reliquit arenam.  
Hinc atque hinc undae (Mirúm!) in latera ardua  
utrinque

Arrectae steterunt, vasti instar montis, et ibant

110 Insuetum per iter, siccisque per aequora plantis  
Hebraei, Pharaos sed enim, Currusque, Virique

(a) Ex. 12. V. 29.

(b) Ex. 13. V. 17.

(c) V. 27.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE MADRID

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



Cum grandi armorum fremitu, et clamore sequaci  
 Instabant, quae per fluctus via strata patebat.  
 Insani, qui credebant, iter illud apertum  
 115 Esse sibi! Adverso contra stans littore Moses  
 Virga iterum increpuit. Portentum! Protinus al-  
 tae (a)

Undarum moles et praeruptissimi aquarum  
 Montes, praecipites superincubuere, superbum  
 Et Regem, et cum Rege Acies, Currusque, Vi-  
 rosque

120 Una omnes, atque infanda involvere ruina,  
 Gurgitibusque, et mantosis vastique sepulchris.  
 Tot nuper, nusquam apparebant. Nemo superstes,  
 Qui saltem cladem Aegypto, et portenta refer-  
 ret (b)

En quantum Aegypto cladem virga illa ferebat!  
 125 Magnus nimirum O DEUS, et solus DEUS es Tu!  
 Vilem etiam virgam, cum vis, facis Omnipotentem!

**REFUGIUM.**

DEUS NOSTER REFUGIUM ET VIRTUS, ADJUTOR IN  
 TRIBULATIONIBUS, QUAE INVENERUNT NOS NIMIS.

Ps. 45. V. 2.

**CARMEN XVIII.**

Quam sumus ab! miseri mortales! Nascimur  
 omnes

(a) Ex. 14. V. 6.

(b) Unus ex eis non remansit Ps. 105. V. 11.

Flendo: sentimus primo ipso in limine vitae  
 Quae mala nos, et quanta manent, et poenitet  
 auram

Vitalem hausisse, et materno exisse sepulchro.  
 5 Flendo etiam morimur. Lachrymae tunc sponte  
 fluentes  
 Injussae exsiliunt, morientum et lumina clau-  
 dunt.

Humanum luctus vitam concludit utrinque,  
 A luctu ordimur, luctu finimus eandem:  
 A fine in finem lachrymarum uberrima vita est.

10 Felices, quibus extremas, aegreque cadentes (a)  
 Expressit jam mors lachrymas! Felicior ille (b)  
 Qui necdum natos, nec vidit quae mala fiunt  
 Sub Sole, et necdum cervice exceperit acerbum  
 Triste jugum, infelices quod portamus Adami (c)  
 15 Posteri ab ipso utero jam Matris ad usque Se-  
 pulchrum!

Vita Mare, et Littus Mors est quo dentimus.  
 Illac


Imus per fluctus, et amararum undique aquarum  
 Confectus, per mille vices, per mille pericla.  
 Quemque suae excercent poenae, curaque re-  
 mordent

20 Arcanae: suus unicuique recipiat aestus,  
 Itque, reditque, et sopiri, et requiescere nescit.  
 Hunc morbi excruciant; illum premit improba  
 egestas.

(a) Ecclesiastes C. 4.

(b) V. 2.

(c) Ecclesiastici. C. 40. V. 12.





Dives hic est; illum sitis insatiabilis auri  
Urit, pauperieque ipsa crudelius angit.

25 Ardet adhuc pejus miser hic, cui subdidit ignes  
Insanos malesuadus Amor, probrosa Libido.  
Hic caput efferre, et dominari, et anhelat honores:  
Nec tamen assequitur. Sunt umbrae, umbraeque  
fugaces.

Huic inimicitiae sunt, insidiasque veretur,  
30 Horretque, et pavidus passim timet arma, venena.  
Cives hic, illic agitat discordia Fratres:  
Vitricus huic asper; dura illi, et iniqua noverca:

Huic uxor crux est, dudum jam nauseat illam.  
Contra hic uxorem nuper sibi luget ademptam  
35 Mortem, et funereas taedas, taedasque jugales  
Heul simul accensas. Matrem hic, hic luget A-  
micum:

Hic Puerum, qui nimirum spes sola Parentis,  
Morte sua tristem, solumque reliquit, et orbem.  
Sed quis percensere mala, atque incommoda re-  
rum

40 Humanarum, aut innumeros numerare labores?  
Ut morimur nempé, utque orimur, sic vivimus  
omnes

Flendo. Haec solis nostra est. Vel cum tranquilla  
videntur

Omnia, cum praefert fusissima gaudia vultus,  
Laetiamque sonant risusque, jocique petulci;

45 Cor lújet: lachrymas male concoquit, et premit,  
intús.

Omnia felle madent. Nusquam sincera voluptas.  
Consciis angorum, curarum et quisque suarum,  
Quisque alium; semet nemo putat esse beatum.

Crescunt invidiâ magis hâc mala nostra, quod u-  
nos

50 Nos miseros, nos infausto sidere natos;  
Fausto alios, tristi delusi errore putamus.  
Ac veluti excelsum Montem é convalle profunda  
Cum procul aspiciamus, contingere vertice coelum  
Credimus; at si illâc fortasse ascendimus ipsi,  
55 A coelo immensum quid adhuc distare videmus  
Et nihil ad coelum ultrâ vallem assurgere mou-  
tem:

Sic alij est alius; sibi nemo est ipse beatus.  
Error! Mortales aequé miseri sumus omnes!  
Equis tam felix fuit, est ve, ut plura nec optet?  
60 Eccei Pax animi nullo turbata tumultu  
Constitit? Heul nostris quâm longé illa exulat  
oris!

Siquando ostendit se se Mortalibus aegris;  
Illicet aversata ipsos, terrasque perosa,  
Subtrahit aspectu se se, et fugitiva recedit,  
65 Vix abeuntem illam suspiria nostra sequuntur,  
Succedunt animi angores, et pectora rodunt,  
Subque alto effodiunt sibi corde cubilia curae.  
Nec nos obniti contra tantumve, nec ipsae  
Quem posuere semel curae, desuescere nidum.

70 Quaecumque adversis rebus, vel casibus actum  
Stare animo immotum, ceú stat Marpesia cautes,  
Et nec sentire, ut jactat bonâ turba Sopherum,  
Grandiloquae nugae, mera sunt et inania verba.  
Sentimus mala nostra nimis, nec marmore nobis  
75 Obrigit, nec fusum é ferro est, aereve pectus.  
Proh! nimium infirmi supus, et succumbimus  
ultrô;

Inclinari, actum praeceps descendere coelum.  
 25 Sed majus quid erat: nam demittebat Olympo  
 Sa DEUS: Ecce DEUS, sanctum, et Spirabile  
 Numen

Cum sonitu venit, et vibratus ab aethere turbo  
 Flammarum, jubar immortale, innoxius ignis  
 Effundit se se in MATREM, Sanctumque Sena-  
 tum.

30 Deinde variè in varias linguas formatur: et igno  
 Desuper incumbente. DEUS, DEUS insidet ipso,  
 Omnipotens vigor, Arcana, Infinitaque virtus.

Extemplo firmati animi: quique ante latebras  
 Captabant pavidi, nec se producere coram,

35 Audebant; ultro irrumpunt, ardentque fateri  
 Discipulos, comitesque Hominis se se illius esse,  
 Crudeli nuper, probrosa et morte preempti.

Quem vos supplicio infami, mortique dedistis (a)  
 Hunc DEUS immortalis ad vitam à morte re-  
 duxit. (b)

40 Hisce oculis vivum, et redivivum vidimus illum  
 Nosmet, cumque illo nos manducavimus ipsi.

Hic est quem vates Sancti, quem oracula vestra  
 Olim venturum, dudum vos ante monebant.

Talia dum memorant, non verba; sed ore to-  
 nare

45 Ore videbantur proferre, et pectore flammam.

Tum forte ad Solyma, et Templum concursus,  
 et ingens

Undique fervebat prisca ad solemnia turba.

(a) V. 23, 24.

(b) Et 32.

Parthi ibi pugnaces à tergo, cladeque Crassi (a)  
 Insignes: Medique suo Deioce superbi:

50 Qui Tigri, Euphrate hinc illuc elandatur, et arva  
 Inter utrumque colunt: Qui Thermodonta, Li-  
 cumque,

Sengariumque bibunt: Quos irâ, et murmure  
 terret

Horrissono undarum pontem indignatus Araxes:  
 Quique habitant quâ consurgens juga mittit in  
 omnem

55 Quam vasta est Asiam Taurus, mons maximus  
 orbis:

Gens quoque cui magnum quondam latrator A-  
 nubis

Numen: et indigenae Libyae, Libycaeque Cy-  
 renes:

Et quos ubere alit laeto celeberrima centum  
 Urbibus, immiti et Rhadamantho Gnoссия tellus:

60 Et qui multa adolent, pretiosaque thura Sabaei,  
 Diversi linguis, diversi moribus omnes.

Quisque tamen patria lingua se, et voce doceri (b)  
 Credebant. Nova inauditae commercia linguae

Attoniti auscultabant. Vox eadem, et sonus  
 idem, (c)

65 Jam non idem; alias (mirum!) totidemque sonabat  
 Linguas, quot varias illabebatur ad aures.

*Orbem Terrarum vox illa, et Spiritus ille  
 Implevit. Portenta Deum, simulachra nefanda*

(a) V. 9 et. seq.

(b) V. 7, 8.

(c) 12.



Deficiunt vires, languet cor, vivere taedet.  
Ut cumque horribilis Mors est; evanuit horror:  
Plerumque optamus mortem, amplexuque vocamus.

80 Tanta infelicis mortalis taedia vitae!  
Nempe procellosum semper, nunquamque quietum,

Vita mare est. Crêbris miseri ludibria ventis  
Volvimur húc illúc, et circumvolvimur undis.

Humanum nihil in tantis opis esse periculis  
85 Quod queat, affictosve manu, auxilioque levare.  
Tu Deus unum es perfugium, et spes una salutis,  
Quae superest. Desperatis succurrere rebus  
Unus tu, et solus potes, atque imponere, nutu,  
Quám libet irato tranquilla silentia ponto.

90 Impera, et attoniti fluctus, ventique silebunt.  
Obruumur. Tu porge manum, mediasque per undas

Tuti incedemus pedibus. Calcabimus aequor,  
Nec pandet se se, conculcatumve dehiscet,  
Nec titubabit enim, nec nos vestigia fallent.

SPIRITUS DOMINI REPLEVIT ORBEM  
TERRARUM.

Sap. 1. V. 7.

**CARMEN XIX.**

Postquam ab olivarum extollens se monte, volucris.

Nubé sedens, de mactata ab se Morte triumphum (a)

Victor agens, super astra redux conscendit JESUS:

Qui fidi comites fuerant illum usque sequuti,  
5 Cúm jam frustrá oculis ipsum sequerentur euntem,

Atque ibi ne haerent monuisset nuntius Ales, (b)

Tum demúm ad Solyma inviti, tardique reversi  
Omnes gestire, et laetari; rursus et omnes  
Flere, et sublato sibi suspirare Magistrum.

10 Ut soliti, cúm de nido usque ad nubila librat  
Se se Aquila, implumes pulli pipire, querique.  
Omnibus idem animus: conclusi paupere tecto.

In coelum mente erecti, pia vota precesque  
Urgebant. Aderat JESU Sanctissima Mater, (c)

15 Lenibatque suis moerentis pectora verbis,  
Et Gnati absentis munusque, vicesque gerebat.  
Jamque dies decies quinque, et solemnia sacra  
Instabant, *PENTECÓSTE* de nomine dicta, (d)

Cúm subitó, sudo coelo, pigro aère toto;  
20 Improvisum, ingens laté increbrescere murmur,  
Et fragor audiri immanis, quasi saeva procella  
Ingrueret, ruerentque in atrocía praelia venti.  
Axe suo credas emotum, et cardine vulsum

(a) Act. C. 1, V. 9.

(b) V. 11.

(c) V. 14.

(d) Act. C. 2. V. 1 et seq.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SIDRONIU MOSCHU

E SOCIETATE IESU,

LACHRYMÆ S. PETRI.

ELEGIA I.

*Peccatum suum deflet.*

Si qua fides superest periuro, poenitet eheu!  
Poenitet. Haec causam vox agit vna meam.  
Caetera dicetis, lachrymae, si vocis habetis  
Pondera, si nulla fallitis arte fidem,  
Ite igitur, facinusque meum, culpamque piato,  
Non intermissius eurrite semper aquis,  
Ves mihi subsidium fluitis, vos pectoris hujus  
Ex aliqua saltem parte levatis onus,  
Ite, sed absque modo: causa immoderata dolendi est,  
Illa sibi nocetis vindicet, illa dies,  
Ite, nihil satis est, non si crescatis eundo,  
Crescere collectis ut solet annis aquis.  
Non ego mensuram vobis, non tempora pono,  
Nec mea me paritur ponere causa modum.  
Non moveor damnis si rtunae crimine factis.  
Nil cupere, et fluxas spernere doctus opes,

Dejecit, quis sacrilegas extruxerat aras  
70 Caeca superstitio, plenaque adolebat acerrá.  
Bis seni illi homines indocti, ac retia tantúm  
Tractare, et pisces amo prensare periti;  
Aurá Divina aflatí, facti organa Sancti  
Spiritus, Ignigenae intonuere. Tonitrua coelum  
75 Terrasque, et Mare concussere, audita per omnes  
Quá se se extremos in fines porrrigit orbis.

In omnem terram exivit sonus eorum, et in  
fines orbis terrae verba eorum.

Ps. 18. V. 5.



LACHRYMÆ

S. PETRI,

AVCTORE PÖETICO

R. P. Sidronio Hoschio.

SOCIETATIS IESV.

U A N L

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

LEON: 1877.




DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

APUD IOSEPHUM M. MONZON  
Via (vulgo) de la Condesa.

Dejecit, quis sacrilegas extruxerat aras  
70 Caeca superstitio, plenaque adolebat acerrá.  
Bis seni illi homines indocti, ac retia tantúm  
Tractare, et pisces amo prensare periti;  
Aurá Divina aflatí, facti organa Sancti  
Spiritus, Ignigenae intonuere. Tonitrua coelum  
75 Terrasque, et Mare concussere, audita per omnes  
Quá se se extremos in fines porrigit orbis.

In omnem terram exivit sonus eorum, et in  
fines orbis terrae verba eorum.

*Ps. 18. V. 5.*



LACHRYMÆ

S. PETRI,

AVCTORE PÖETICO

*R. P. Sidronio Hoschio.*

SOCIETATIS IESV.

U A N L

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

LEON: 1877.



DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

APUD IOSEPHUM M. MONZON  
Via (vulgo) de la Condesa.

Non ciet hos luctus, aut rapti funus amici,  
 Aut labes famae non abolenda meae.  
 Indigna est lachrymis levium iactura bonorum,  
 Vitam aequaturo digna dolore mea est.  
 Et quamvis lachrymis facile est reparabilis illa;  
 Nulla tamen lachryma dignior esse potest.  
 Hei mihi periuro toties quod diximus ore,  
 Mens meminisse horret, lingua referre timet.  
 Vos igitur, lachrymae, periuria dicite nostra,  
 Nil dolor hic linguae voce querentis eget.  
 Vos eritis, dum clausa mihi pudor ora tenebit,  
 Peccati testes, et medicina mei.  
 Heul lachrymae viles, nostris neque luctibus aptae:  
 Currere sanguineae debueratis aquse.  
 Qualibus ac ipsa perfusus nocte madebat,  
 Cui tanti luctus pars ego magna fui.  
 Mens abit, et morior quoties lachrymantis imago,  
 Orantisque Patrem forma: modusque subit.  
 Affixis telluri oculis, sparsisque iacebat  
 Crinibus, et longas flens dabat ore preces.  
 Illum ego, qui flebat, testor, coilemque cruentum,  
 Et quae servat adhuc signa doloris humus,  
 Sanguis orant lachrymae: stillabant sanguine vultus,  
 Purpureus multo sanguine sudor erat.  
 O ego quam vellem tales quoque fundere fletus!  
 Erumpe ex oculis vnda cruenta meis.  
 Crimina, quae sontes alios fecerit plari  
 Conveniat lachrymis, sanguine nostra decat.  
 Sanguine pro lachrymis aliena piacuta flevit,  
 Vt mea deplorem, sufficietis aquae?  
 I crur ex oculis; pascit mea causa cruorem,  
 Quamvis nec sceleri sit satis illo meo.

Et quota pars oculis sunt corporis? O mihi possit  
 Omnibus exundans artubus ira cruor:  
 Et mihi sunt venae, et venae mihi sanguine turgeat,  
 Erumpe ex oculis vnda cruenta meis,  
 Quid mihi nunc prodest cum parvis humida cymbis  
 Retia; quid patriam deseruisse casam?  
 Quid, quae ipse mihi victus formidine clausi,  
 Coelestes alijs pandere posse fores?  
 Omnia perdidimus, Coelumque animamque Deumque,  
 Nullaque non sceleri debita poena meo est.  
 Sed poenam meruisse parum est: quod torquet, et vrit,  
 Illus est nostro crimine laesus amor.  
 Offendisse illum mihi prima, et maxima poena est.  
 Erumpe ex oculis vnda cruenta meis.  
 Debueram Dominum vitae praeferre: negavi:  
 Morte nec in media perfidus esse; fui.  
 O utinam nocitura mihi pars pessima nostri  
 In medijs verbis lingua revulsa foret!  
 Mene negasse Deum, flexo qui poplite pronus  
 His pedibus latices hac quoque nocte dedit?  
 Qui nobis dedit ipse suum cum sanguine corpus,  
 Cumque daret, dixit, memores esto mei.  
 Sic memorem ille sui tanto me munere fecit?  
 Erumpe ex oculis vnda cruenta meis.  
 Sic certe flerem, si non de marmore, si non  
 De ferro nobis pectus, et aere foret.  
 Interea dum, vota nihil conceditur vitra,  
 Ex oculis saltem currite semper aquae.  
 Qualibus aetereis manant è fontibus vndae,  
 Quae vena nunquam deficiente fluunt.  
 Tempus erit cum vos sanguis fortasse sequetur,  
 Si modò non fallam rursus, ut autè, fidem.

ELEGIA II.

*In specu se flens accusat.*

RUPES dura, mei verissima cordis imago,  
 Horrida, sed lachrymis apta latebra meis,  
 Ad te flens venio lethali saucius ictu,  
 Squallidus immixtis moesta per ora comis.  
 Accipe me, profugumque tuo, precor abde sub antro,  
 Et refruant gemitus concava saxa meos.  
 Tu mihi deserta sedes securior aula est,  
 Non hic, qui rursus plurima quaerat, erit.  
 Hic licet arcanos animi depromere sensus,  
 Has inter tenebras luta querela mea est.  
 Hic impunè licet quis sum, qualisque fateri,  
 Hic mea me tuò prodere lingua potest.  
 Ille ego sum miles verbis animosus, et audax,  
 Et solo fortis nomine, rebus iners.  
 Ille ego sum prima quem stravit foemina voce  
 Oblitum Domini, cum Dominoque mei.  
 Qui nil sum veritus tantùm ne cognitus essem,  
 Perfidiae testem saepe vocare Deum.  
 • O testis, iudexque meae certissimè culpae,  
 Quis de me sensus sit meus, ipse vides.  
 Nunc ego te melius testem voco: iusta doloris  
 Quam tibi causa mei, tam dolor ipse patet.  
 Hic es, et hos gemitus, et quidquid dicimus audis;  
 Has lachrymas oculis aspice ipse tuis.  
 O dulces oculi casus solatia nostri!  
 O spes, dicumbae sidera cotta meae!

In tantis animi tenebris vos prima fuistis  
 Lux mihi, servatus vestrum ego dicar opus,  
 His oculis, qui me lapsum monuere, gementem  
 Aspice placandi spes venit inde tui.  
 Aspice lugentis speciem, vestemque, sinusque,  
 Antraque de lachrymis humida facta meis.  
 Aspice lassatas tundendo pectora palmas,  
 Et moveat vultus moesta figura tuos.  
 Non precor antiquo, quo non sum dignus, honori  
 Reddi, nec regimen puppis habere tuae.  
 Clavum alius teneat, remis ego perfidus addar,  
 Est mihi, quae remos torqueat, apta manus.  
 Non ego servitium, quantumvis vile, recuso;  
 Dummodò sim tecum, quidlibet esse feram.

ELEGIA III.

*Delicti veniam deprecatur.*

TENE ego litteribus, linoque assuetus, et hamis,  
 Ad tua de medijs regna vocatus aquis;  
 Tene ego substinui periuris laedere verbis,  
 Et Dominum toties esse negare meum?  
 Haec mea magna fides? sic vita charior ipsa  
 Tu mihi? sic nostra morte probatus amor?  
 Tu mihi te, coelumque, casae, cymbaeque relictæ  
 Das pretium, et pudet me tamen esse tuum.  
 Mene tui pudet? certè tuus esse negavi  
 Ausaque non novi, dicere lingua fuit.  
 Certè ego iuravi de te nil scire, nec vllò  
 Foedera conjunctum te mihi, meque tibi.



Quis tibi tunc sensus de me fuit? acrids vrens,  
 Quam quod nos dedimus, non puto, vulnus habes.  
 Debuit hic cumulus poenis accedere tantis,  
 Ut tibi pars essem summa doloris ego?  
 Non tantum doluere tibi, saevissima quamvis,  
 Vulnere, quam linguae perfida verba meae.  
 Qui placidus fuerat media inter verbera vultus,  
 Peccato coepit tristior esse meo.  
 Inde tui sensus crevit sine fine doloris,  
 Unde tuus crevit, crescit, et inde meus.  
 Militiae pars prima tuae tua signa reliqui  
 Perfidus. Hoc coelum, terraque ferre potest?  
 Parce, pater, neque, quod merui, me fulmine perde,  
 Nec mihi sub pedibus rupta dehiscat humus.  
 Parce, pater: mea me satis, heu! periura plectunt.  
 Illa tuo gravior fulmine poena mihi est.  
 Viribus ut totis in me tua detonet ira,  
 Mens sibi supplicum perfida maius erit.  
 Quod redemi saltem flamma si vindice posset,  
 Quam cuperem flamma vindice postea mori!  
 Hei mihi! cur volui me fortior esse videri?  
 Hei mihi: cur vnaquam lingua locuta mea est?  
 Cum mihi calcatum vestigia ferre per aequor  
 Posse datum est, tutam cur dedit vnda viam?  
 Cur me pressa tulit? cur me, quod coepit cuncti  
 Cedere, non totis obruit aequor aquis?  
 Quantum perfidiae mecum perisset in illo!  
 Quantum sub his mecum culpa sepulta foret!  
 Securo nunc vestra gradu me terga prementem  
 In quantos luctus substitulistis aquae!  
 Nunc ego naufragium sum passus tristius illo,  
 Quo mare diductis me tumulasset aquis.

Parce, Pater; mihi iactor dum naufragus vndis,  
 Si me non recipis, quis mihi portus erit?  
 Quae mihi sola super tabulam, ne substrahe nanti,  
 Nec dura gemitus aure repelle meos.  
 Semper habent aditus ad te suspiria molles,  
 Ad te, ne pereant, qui periere, vocas.  
 Quodque iuvat, cum sit hominum iudexque paterque  
 Praecipue titulum nominis huius amas.  
 Iudicis officium est punire: ignoscere Patris,  
 Sis mihi quod mavis omnibus esse, Pater.  
 Hoc eris, hoc potius celebrari nomine gaudeas,  
 Naturae pietas convenit illa tuae.  
 Novi ego te, quamvis toties, te nosse, negavi:  
 Es pius, et placido respicis ore reos.  
 Tardus es ad poenas, et quae non mittere malles,  
 Invita mittis fulmina rara manu.  
 Laesus eras, memini: iusto pete fulmine fontes,  
 Diximus; offensa est fulmine digna tus.  
 Parcite, dicebas; quid sit, nescitis amare,  
 Non est ingenij spiritus ille mei.  
 Profuit hoc illis, prossit mihi: testis amoris,  
 Exemplumque tuae sim pietatis ego,  
 Illa mihi pietas miseris solantis inhaeret,  
 Quae labor, aut animi triste gravaret onus,  
 Ad mea, dicebas, celeres praecepta venite,  
 Quisquis eris, nostra iactura abibis ope.  
 Hac ego spe fretus venio: mihi crimina pondus  
 Sunt mea, mens isto vieta labore gemit.  
 En venio, tu, quo premimur, sclare laborem,  
 Mole quod immensa me gravat, aufer onus.  
 Ah! quid agam, tua cum supplex ante ora iacebo?  
 An potero lingua pauca trementi loqui?

Haecvne, quae toties te lingua est ausa negare,  
 Perfidiae poterit dicere, parce n' eae?  
 Vt puto, non poterit, verba imperfecta relinquet,  
 Et rumpet medios victa pudore somnos.  
 Sed licet haec taceat, gemitus, lachrymaeque loquentur.  
 Haec quoque si de-int, ingemuisse sat est.  
 Tu gemitum, mediata magis quam verba requiris,  
 Hic index animi certior esse solet.  
 Vt flectat, vincatque tuam, quam deprecor, iram,  
 Facunda mutus plus valet arte dolor.  
 Sic venio supplex, quamvis peccasse dolentem,  
 Me meus haec intra detinet antra timor.  
 O Pater, hos tantum, veniam concede dolenti.  
 Et lachrymas nostro mitis in ore vide.  
 Per qui te genuit, verissima cuius imago es.  
 Et qui te voluit, quod sumus, esse, Patrem.  
 Qui nos, vt serves, vitam te perdere iussit,  
 Qui vult, nos pretium sanguinis esse tui:  
 Perque tuam, quo vile genus dignaris, an oram,  
 Qui te, quod modo fers, ferre coegit onus.  
 Per quos iam pateris, per quos patiere dolores,  
 Dum peragis nostrae grande salutis opus.  
 Sic testata tuum celebret clementia nomen,  
 Araque sit miseris semper aperta reis.  
 Sic quod soire dedit Genitor mihi vesper, et ortus  
 Te genus esse Dei credat, et esse Deum.  
 Exemplo sic quisque meo speretque, sciatque,  
 Littora naufragio iuta patere suo.  
 Sic parero tuis assuescat legibus orbis,  
 Et pretium mortis non sit inane tuae.

ELEGIA IV.

*Nimiam fiduciam suam arguit.*

Quid miser haec lachrymis, et quaestu saxa fatigas?  
 Tam graviter laeso numine, flere parum est.  
 Non bene corrigi tur solis ignavia votis,  
 Magnanimus voris quilibet esse potest.  
 Si bene poenituit, factis testare dolorem,  
 Laesa semel, factis est reparanda fides.  
 Et plusquam lachrymis commissum dilve crimen.  
 I, repete intrepido tecta relicta pede.  
 Hic flendi locus est: hic te peccasse fatere;  
 Nec premat ignavus libera verba timor.  
 Hic te periurum, mentitumque omnia dicas,  
 Hic flens da fidei pignora certa tuae.  
 Illum ego, dic *novi*, toties quem nosse, negavi,  
 Pro quo non metuam; vivat vt ipse, mori.  
 Illum ego, dic, vidi subito compescere ventos,  
 Illum ego turbato ponere iura mari.  
 Cum voluit, vacuis panes crevere canistris:  
 Cum voluit, liquidae vina fuistis aquae.  
 Illius in laudes rupere silentia muti,  
 Aequato claudi subsistere pede.  
 Debuit huic lucem caecus, seu matris ab alvo,  
 Seu morbi vitio luminis orbis erat.  
 Saepe Erubi furiae vocem tenuere iubentis,  
 Corporaque irvita deseruere fuga.  
 Saepe cadaveribus conspectis, vivite, dixit;  
 Nec mora, vivebant, qui modo funus erant.

Quod loquor, et aspiro, quod coelum, et sydera coeli  
 Aspicio, quod adhuc vivimus, ille dedit.  
 Talibus, atque alijs (culpa si cura pianda  
 Est tibi perfidiae verba refelle tuae.  
 Hoc placat, hoc fixum est, vtsunt, quaecumque fatebor,  
 Vt animi nobis, sic satis oris erit.  
 Imus, et obstantes certum est perrumpere turmas,  
 Si perimar, fidei mors mea pignus erit,  
 Imus et in media moriemur fortiter aula,  
 Perfidiam miles vindicet ense meam.  
 Forsan, et intrepido confecta per atria gressu  
 Evadam Domini chara sub ora mei.  
 Hic ego perfusus laehrymis, plenusque pudoris  
 Provolvar supplex illius ante pedes.  
 Hic ego delicti veniam (nisi verba dolentis  
 Impediant laehrymae) voce tremante petam.  
 Aut mihi placatum felix audacia reddet,  
 Aut animi saltem conscius huius erit.  
 Quid loquor? cautam malè fido in gurgite puppin  
 Ad scopulos fractam, sit satis, esse semel.  
 Hic erat hoc memini, qui me modo perdidit ardor,  
 Impetus hic idem magna loquentis erat.  
 Non tamen aut nudos Romani militis enses,  
 Aut populi timeo, Pontificumque minas:  
 Me timeo: mihi plus sum istis ipse timendus,  
 Mobilitas animi iam mihi nota mei est.  
 Tam multos, inter quos fugi tu pater, hostes  
 Hostis ego mihi met maximus ipse fui.  
 Nemo potest nobis tantum (fac velle) nocere,  
 Quantum ego convinceo iam nocuisse mihi.  
 Parcite, si gressum refero, quibus antea natavit  
 In tabula meritò naufragus horret aquas.

Deveo mihi funestas, et abominor aedes,  
 Hic mens, et vires procubuere meae.  
 Deserto satis est crimen lugere sub antro,  
 Ne virtus iterum sit mea fienda mihi.  
 Infelix, quem stulta sui fiducia tollit.  
 Illa fuit nostri prius favilla mali.  
 Hoc perdet multos, hoc multos perdidit antè,  
 Metiri faustu magna pericla suo.  
 Omnia spondentem de se, sib., nilque timentem  
 (Expertus moneo) certa ruina manet.

ELEGIA V.

*Peccatum suum orbi manifestat.*

ELOQUAR? an sileam? dolor hoc, pudor impedit illud  
 Mens variat, motus nec capit aegra suos.  
 Cede pudor, iustoque animi succumbe dolori,  
 Et pars sit poenae culpa professa meae.  
 Admonitu quamvis luctus renovantur amari,  
 Eloquar infelix dedecus ipse meum.  
 Nox erat, et montem Dominus de more petebat  
 Certus in hostiles sponte venire manus.  
 Quos ego tunc animos, quos sensi pectoris ignes?  
 Ille meis maior viribus ardor erat.  
 Ipse ego te casus, dixi, comitabor in omnes,  
 Pro te vel tecum certus, et ipse mori.  
 Insurgat solyme, totis vomat agmina portis,  
 Miles ego tecum, castraque solus ero.  
 Diffugiant alij, tenebrisque, et nocte tegantur.

Tergaque militibus uent sunt; pectus ego.  
 Hoc caput obijciat turmis se pluribus unum,  
 Non ego de timidis, res ubi poseet, ero.  
 Hei mihi quam brevis hic fuit, et temerarius ardor,  
 Quam levis, et mendax impetus ille fuit!  
 Omnibus exemplum fidei fore grande videbat:  
 Eheu! perfidiae duxque, caputque fui.  
 Viderat hoc in me vitium, qui prospicit unus  
 Omnia, cui melius quam mihi notus eram.  
 Viderat, et vanis cave fidere viribus, inquit,  
 Fortiaque infirmus desine verba loqui.  
 Haec nox hos animos, ne tu te falle, probabit  
 Conscia perfidiae saepe futura tuae.  
 Quantum animis erroris inest! non sensimus ipsum,  
 Ceu falli posset, vera monere Deum.  
 Obstitimus monitis: prius aequore sylva sub alto  
 Crescet, et in summis, diximus, alga jugis.  
 Quam te destitutam; non sum desertor amoris,  
 Testis erit fidei resque locusque meae.  
 Interea trepidans, ac pallens morte futura  
 Innocuas Dominus tollit ad astra manus.  
 Quae species orantis erat! reverentia pronum  
 Straverat: erumpens sparserat ora cruor.  
 Humebant crines; humebat sanguine pectus:  
 Sanguineis guttis humida vestis erat:  
 Collaque, coelestesque humeri, tetumque precantis  
 Undabat mixtis sanguine corpus aquis.  
 Sanguine rorabant stillantia gramina circum:  
 Sanguine, ceu rivis sparsa rubebat humus.  
 Dum pavet, et pallet, dum flet, sudatque suumque  
 Supplicium ante oculos iam moriturus habet.  
 Non poterit species me tan miseranda tenere,

Quin gravis obrueret lumina fessa sopor,  
 Scilicet haec virtutis erant praeludia nostrae;  
 Sic mea se primum visa probare fides.  
 Arma sonant, fremitusque virum: coit omnis in unum  
 Impetus: audaces instruo ense manus.  
 Quid frustra fortes fuimus? quid inutile ferrum  
 Strinximus? haud illa tempus egevat ope.  
 Barbara gens instat, stimulisque, et verbera caevit,  
 Vinculaque Divinas addit in arcta manus.  
 Sponte sua vincetus rapitur tot ab hostibus unus.  
 Mitis ab infestis ut solet agna lupis.  
 Sic ubi cogovi, quod se permitteret hosti,  
 Et sibi, quam poterat ferro, negaret opem:  
 Tunc vero extimui: stabam sine sanguine pallens,  
 Attonitoque diu nil mihi mentis erat.  
 Quid facerem? sequerer? misero timor obstat amor.  
 Terga darem? prohibet vertere terga pudor.  
 Ardua res, Domini sortem quamcumque subire,  
 Inque eadem captas addere vincula manus.  
 Sed tamen avelli, nec scire quis exitus illi  
 Immineat, non est poena priore minor.  
 Mens incerta diu dubijs affectibus errat,  
 Quidve velit, nescit, nota nec ipsa sibi est.  
 Sic ubi discordes axercent aequora venti,  
 Huc agit, et illuc ventus, et vnda ratem.  
 Nil mihi, quod sequerer, potius, fugeremve, subibat:  
 Res est mentis inops, consilijque timor.  
 Cedit amor: fugio; comitumque exempla secutus  
 Obscurae noctis munere tuta pato.  
 Mox dubitans, medioque inhibens vestigia cursu,  
 Quid facis ah? dixi: quod miser unde fugis?  
 Quid nisi mors superest, vitam si deseris ipsam?

Haec pietas nullo conculcanda metu?  
 Spiritus hic ille est omni discrimine maior?  
 Haec sunt militiae splendida facta tuae?  
 Vincit amor, redeo: sed non bonus augur eunti,  
 Plurima dum subeunt, pes mihi tardus erat.  
 Et sequor, et timido moveo vestigia passu:  
 Ire iubebar amor, lentius ire timor.  
 Et iam contingeram scelerati limina tecti,  
 Limina tam timido non adeunda pede.  
 Ingredior: vites animus dabat; ad mihi quantò  
 (Et pudet, et dicam) quàm priùs ille minor.  
 Ah! quoties finxi vultum, voluique videri  
 Fortis, et occultos dissimulare metus!  
 Ah! quoties oculos nostris in vultibus omnes  
 Esse ratus, nostri concilia signa dedi!  
 Heu quàm difficile est animum non prodere vultu!  
 Hic sperit quidquid cura, timorque tegunt.  
 Prima foris custos praesensit serva, quis essem:  
 Prima mihi, capto tu comes, inquit, eras.  
 Protinus ut trepidas vox haec mihi perculit aures,  
 Pallor in attonito plurimus ore fuit.  
 Ille refutabat linguae mendacia pallor.  
 Plùs propè me patrio prodidit ille sono.  
 Nil, ea dixit, agis: Galilaeum lingua fatetur  
 Te tua: te, qui sis, teste negare potes?  
 Obijci hoc ipsum nobis mox alter, et alter;  
 Et coniecturam, quo tueantur, habent.  
 Tunc verò effraeni periuria fundere lingua  
 Coepimus, et diris dedere mille caput.  
 Nec memini vidisse, nec est mihi nomine notus:  
 Et peream, si non haec ego verò loquor.  
 Perque Deum, perque omne sacrum, me nosse negavi,

Horrui ad voces impia turba meas.  
 Nec verbis stimulanda meis me numinis ira  
 Terruit: audacem fecerat ipse timor.  
 At frustra, quod eram, volui non esse videri:  
 Prodebat causam perfidia lingua suam.  
 Dicebam quoties, non novi, nosse fatebar,  
 Contra se testis lingua negantis erat.  
 Sed licet esse meo quod eram convincer ore,  
 Impietas aliud visa probare fuit.  
 Tunc quoque me Domini pietas (quis credere possit?)  
 Non est ex merito passa perire meo.  
 Flexit amans oculos, meque inter vinculas spectans,  
 Plus nostri est visus, quàm memor esse sui.  
 Non torvam speciem, non prae se moesta ferebant  
 Ora minas, culpa signa nec vlla meae.  
 Vultus erat qualem misereri credere possim,  
 Et dare placandi spem mihi velle sui.  
 Quis mihi tunc, superi, concussit pectora motus?  
 Sensimus: ille oculus me miserantis erat.  
 Tunc ego me demùm coepi sentire nocentem;  
 Tunc animo demùm lux fuit orta meo.  
 Nec mens venisset melior, nisi tanta fuisset,  
 Et maior Domino, quàm mihi, cura mei.  
 Frustra me crebris monuisset cantibus ales:  
 Sic ego, non avium voce monendus eram.  
 Egreior; laesamque fidem, turpemque timorem  
 Exereror, et tanti conscia tecta mali.  
 Turpiter evasi, quae me quoque ferre decebat  
 Vincula: peccando deteriora tuli.  
 Hinc grave supplicium periurae discere mentis  
 Cogor, et iratum quid sit habere Deum.  
 Ex illo madet os lachrymis, semperque madebit.

Et brevior luctu vita futura meo est.

ELEGIA VI.

*Fragilitatem suam agnoscit, et deplorat.*

DICEBAM, memini, geminos revolutus in ortus  
 Iordanes versis ante recurret aquis,  
 Quam violem te, sancta fides, victusque timore  
 Signa ferat Domini deseruisse mei.  
 Vertere Iordanes, flexoque relabere cursu:  
 Deserui Domini prodita signa mei.  
 Nec mihi Romulei fascies, strictaeque secures,  
 Nec mihi fecerunt arma, virique metum.  
 Vocibus ancillae (res indignissima dictu)  
 Cessimus: Heu vbi tunc ille superbus eram?  
 Qui me laudaram, qui nil nisi magna loquebar,  
 Carnifices audax inter, et arma mori.  
 Omnia spernebam quae possent cumque timori,  
 Ducebamque animis inferiora meis.  
 Plus quod; quam loquerer, demens mihi posse videbar,  
 Concidit exiguo spiritus ille metu.  
 Nec saltem primum, quamvis terrore careret,  
 Congressum vires sustinere meae.  
 Non cedit primis percussa securibus illex,  
 Nec nisi multiplici vulnere victa cadit,  
 Firma diu perstat, nec iniquo pressa fatiscit  
 Pondere Taenarijs caesa columna iugis.  
 Nequequam vento rupes pulsatur, et imbri:  
 Indeiecta manet, tutaque mole sua est.

Non minus his fortis credi, dicitque volebam:  
 Quae me dejiceret vox satis vna fuit.  
 Quod si me iudex, quod si me plena rogasset  
 Curia, causa minus nostra pudenda foret,  
 Lumina percellit septum terrore tribunal;  
 Formaue iudicij, quod timeatur, habet.  
 Quaesitor, iudex, lictores, vincula, carcer,  
 Nomina sunt, quorum terret et ipse sonus.  
 Nunc me serva levi prostravit foemina verbo.  
 O pudor! imbelli vulnus ab hoste tuli.  
 Si mihi dixisset quisquam; te foemina vincet,  
 Deque tuis spoliis viribus illa ferret:  
 I quoque dixissem, cerva venare leonem,  
 Inque fugam dama verte sequente canes.  
 Et tamen evenit, fieri quod posse negavi:  
 Prostrati titulum cerva leonis habet.  
 O ego quam non sum, quod me miser esse putavi  
 Flammaque de stipula quam brevis orta mea est!  
 Viribus heu adij maiora pericula nostris,  
 En rudis illorum, nec mihi notus eram.  
 Quid possim, didici: me causa levissima fregit:  
 Exitus est factus fienda ruina mei.  
 Intrepidus stabam: stantem levis impulit aura;  
 Sic damno coepi doctior esse meo:  
 Quid sumus? aut qua spe meditatur grandia parvi,  
 Esse aliquid falso nostraque, nosque rati?  
 Cur nos decipimus? cur nobis, quidlibet ausi  
 De nobis stultè credere verba damus.  
 Nil magnum nostrae possunt promittere vires:  
 Sponte sua, nullo concutiente, labant.  
 Si Deus auxilio est, tunc omnia possumus omnes;  
 Si non est, sine re nomen inane sumus.

ELEGIA VII.

*Dolet se occasionem peccandi non vitasse.*

Hei mihi cur plus quam possum, me posse putavi?  
 Cur nimium de me credulus ipse fui?  
 Cur ego me praeceps in aperta pericula misi,  
 Nec Domini voces me tetigere mei?  
 Admonuit quoties: tua te fiducia perdet,  
 Destituet vires impetus ille tuas.  
 Vera quidem monuit; sed mea meus ardor agebat:  
 Plus sibi, quam magno credidit ille Deo.  
 Quis me cogebat sceleratae accedere turbae?  
 Quis detestandae limen adire domus?  
 Fugissem melius; levior fuga culpa fuisset:  
 Perfidiae causas praebuit ille locus.  
 Hic mihi, dedecoris quae pars non vltima nostri est,  
 Naufragij scopulos foemina facta fuit,  
 Foemina prima novo dirum scelus intulit orbi:  
 Perdidit humanum foemina prima genus.  
 Exitio fuit illa mihi; mihi tempus in omne  
 Principium flendi, materiemque dedit.  
 Illius exemplo miles quoque multa rogavit,  
 Multaque me falso compulit ore loqui.  
 Infestis odijs Dominus, furisque patebat,  
 Et quisquis Domini pars erat vlla mei.  
 Debueram vires, nisi mens mihi nulla fuisset,  
 In tam praecipiti tempore nosse meas.  
 Crystallus tenni leviter percussa lapillò  
 Frangitur: infirmis causa pusilla nocet.

ELEGIA VIII.

Non benè rimosae decurrunt aequora pupès:  
 Non benè lapsantes fulsit arundo pedes.  
 Imposito glaciés oneri non apta ferendo est,  
 Quam primo leviter frigore vinxit hyems.  
 Quae stat, et in summa tantum fundatur arena,  
 Subruet impulsam ventus, et vnda domum.  
 Pervana, per scopulos si pandit linteas ventis  
 Fertur in exitium sponte carina suum.  
 Corporibus sanis afflant contagia virus:  
 Qui sapit haec, vitet: proximitate nocent.  
 Discite posteritas, exemplo discite nostro,  
 Per non tentandam non dare vela viam.  
 Nemo sibi credat, neq; adire pericula fidens  
 Audeat, exitium, qui sibi fudit, amat.  
 Haec mihi si monito melius percepta fuissent,  
 Non mea nunc forsau naufraga cymba foret.


*Occasionem probandae fidei à se neglectam esse,*

*dolet.*

An potius nocitura mihi quam tecta subissem,  
 Vltima sub motam me tenuisset humus!  
 Aut subitus languor nervos solvisset euntis:  
 Aut ruptum cita mors impedisset iter.  
 Non ego nunc seris periura nostra querelis,  
 Nec Domini flerem signa relicta mei,  
 Impia me dirae laesit vicinia turbae,

Et nox ambigui plena timore mali.  
 Quid miser incuso, tempusque, hominesque, locumque,  
 Prima mali, et gravior sum mihi causa mei  
 Ipse locus causam virtutis praebuit, et quae  
 Multa rogans vrsit, quisve, vel vnde forem.  
 Tunc ego, si quando, poteram monstrare, quis essem:  
 Explorant stabilem tempora dura fidem.  
 Ventorum furij, et mixta grandine nimbis  
 Obvia radices altius arbor agit.  
 Qui tennis primum fuerat, similisque moranti  
 A Borea vires concitus ignis alit.  
 Strenus ancipiti Martis certamine miles  
 Se probat: implacidis nauta peritus aquis.  
 Quis iuvenes nosset, quibus olim flamma pepercit,  
 Si non, tentassent flammaque, resque fidem?  
 Pastor lesides praecipit virtutibus annos,  
 Invidiam soceri passus, et arma sui,  
 Sic ego debueram quid vis superare ferendo,  
 Temporaque in laudes vertere dura meas.  
 Nee tamen aut fornax nobis ignesque parati,  
 Aut lateri fuerant tela timenda meo.  
 Strenue bellator verbo prosteneris vno,  
 I nunc, atque aude cum moriente mori.  
 At bene fortis eram, nec ad vlla pericula pallens,  
 Dum lingua tantum res mihi gesta fuit.  
 O quanto melius, cui nuper facta videndi  
 Copia, quem nunquam viderat ante diem!  
 Ille suum est medicum defendere fortiter ausus,  
 Quem violare fui turpiter ausus ego.  
 Ille oculos tribuit, non omnibus vtile munus,  
 Qui lachrymis causas saepe dedere suis:  
 At mihi Divinae fontem cognoscere lucis,

Vtque Dei verum sit genus, ipse Deus.  
 Nec miles, nec serva mihi convitia fecit:  
 Acribus exceptus vocibus ille fuit.  
 Bissenos inter proceres, Sanctumque senatum  
 Dux ego: pars nostri non erat ille chari.  
 Non ego pontificum vultus, quos ille, subivi,  
 Nec mea sub duro iudice causa fuit.  
 Quae me periurum verbo percelluit vno  
 Sordida contemptae foemina fortis erat.  
 Saepe ego quaerentes studui celare, quis essem:  
 Non illi pietas dissimulta metu est.  
 Ille relaturum se nil impunè sciebat:  
 Poena fuit capiti nullo parata meo.  
 Ille sibi medio stetit in discrimine praesens:  
 Me levis incerti perdidit umbra mali.  
 Heu quid agam, cum verberibus, strictoque tyrannus  
 Tentavit nostram barbaros ense fidem?  
 Cum mea nudatae terre bunt ora secures,  
 Aut crux supplicio fortè parata meo?  
 Cum trux impietas vncos, ignesque, rotasque  
 Proferet in saevas ingeniosa nocens?  
 Vt veteres redeant animi diffidimus illis:  
 Suspectam didici lapsus habere fidem.  
 Tunc animos mihi magne Deus, tunc suffice vires:  
 Aut ego, quod timeo dicere rursus ero.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
 GENERAL DE BIBLIOTECAS





ELEGIA IX.

*Ad galli cantum se lachrymas tenere non posse,*

*fatur.*

EVOCAT auroram nimium mihi cognitus ales,  
 Vicinam quoties sentit adesse diem.  
 Auroram lachrymasque meas simul evocat ales,  
 Nec lachrymis oritur certius illa meis.  
 Tunc vitreo frondes hument, et gramina rore:  
 Et mea consueto lumina rore madent.  
 Admoneor sceleris, quod, dum mihi vita manebit,  
 Moeroris semper causa recentis erit.  
 Omnia tunc subeunt tristissima noctis imago,  
 Et scelus, et sceleris conscia tecta mei.  
 Aut ego Pontificum videor scelerata subire  
 Limina, quoque prius palidus esse metu:  
 Aut famulos inter iurantia dicere verba  
 Perfidus, et gentem disimulare meam.  
 Et modò sacrilegis moerens excedere tectis,  
 Pectoraque infesta saepe ferire manu:  
 Et modò fusus humi, vacuoque abiectus in antro  
 De me, deque meo crimine multa queri.  
 Omnia cum subeant, Domini tamen ora recussant  
 Saepius, el lapsum respicientis amor.  
 Tunc pariter redeunt gemitus: lachrymaeque per ora,  
 Ceu data tunc primum causa fuisset, eunt.  
 Est sua vis signis: pellunt oblivia rerum,

Quodque semel factum est, non meminisse vetant,  
 Te quoque te nostri generis lachrymabilis autor  
 Tristitiae, dicunt, non posuisse modum.  
 Saepe dies veniens lachrymantem, saepe recedens  
 Reperit: ante oculos arbor, et anguis erant,  
 Ausus eras tangi vetitum decerpere pomum,  
 Oraque lethifera conscelerare dape.  
 Credibile est, visos in qualibet arbore foetus  
 Luminibus lachrymas elicuisse tuis.  
 Credibile est quoties tibi se tulit obvius anguis,  
 Ob veteres anguit te gemuisse dolos.  
 Sic quoties cantat, quasi perfide diceret ales,  
 Immemorem culpae non sinit esse meae.  
 Culpa quidem vetus est, sed tam nova semper oberrat,  
 Ut memor in lachrymas totus abire velim.  
 Perfidiae nostrae, quam, quondam, certior index,  
 Non surdis, ut tunc, auribus ille canit.  
 Quid tamen est illo nobis opus indice? nunquam  
 Peccati vox est parva futura mei.  
 Haec mihi vox trepidas semper circum sonat aures:  
 Haec mihi, quae feci, nocte, dieque refert.  
 Cumque meos renovet nullo non tempore fletus,  
 Flere tamen luctus est medicina mei.

ELEGIA X.

*Ad S. Petrum, ut lachrymis modum ponat.*

PETRE, quid assiduis delictum fletibus vrges,

Nec tristi cessante imbre madere ganae?  
 Causa (nec id nescis) tua te quoque iudice tuta est:  
 Conciliat laesum culpa profesa Deum.  
 Non hominum ritu, Deus impassibilis iras,  
 Iraeum quamvis est data causa, fovet.  
 Sontibus est semper facilis, veniaequae paratis,  
 Quos videret admissa poenituisse sui.  
 Saepè erat in totas sparsurus fulmina terra:  
 Vnius vt lachrymas vidit, inermis erat.  
 Saepè reos morbis, et iniqui syderis aestu,  
 Saepè armis voluit perdere, saepè fame;  
 Avertere malum lachrymae; poenasque remisit,  
 Et posuit iustas ira coacta minas.  
 Cum lachrymis quaecumque Dei venit ante tribunal  
 Causa, patrocinio tuta potenti venit.  
 At tibi, quae pridem veniam meruere, Deumque  
 Placarunt lachrymae, sine, modoque carent.  
 Vtque per attritas rivum sibi ducit arenas,  
 Quae riguo manet fonte perennis aqua;  
 Sic exesa tibi sulcos ducere per ora,  
 Ex oculis imbres, qui tibi semper eunt.  
 Non est quod metuas, Domini clementia victa est:  
 Materiem luctus substulit illa tui.  
 Mille notis in te veterem testatus amorem est.  
 Qui nihilo nunc est, quam fuit ante, minor.  
 Ille vbi post Erebi vires, Mortisque subactas  
 Conspicuum multa se tibi luce dedit.  
 Num te corripuit? num Vane, aut Perfide, dixit?  
 Num memor est visus criminis esse tui?  
 Num tibi quos dederat titulos, aut munus ademit,  
 Quo rerum arbitrior tradita summa tuo est?  
 Ne tibi mens anceps, ne spes dubitabilis esset,

Quanta tibi pacis pignora, quoque dedit!  
 Ipse tibi voluit, simul atque à morte revixit,  
 Defferri vitae nuntia prima suae.  
 O quoties coram dulcem saturavit amorem,  
 Tractandosque artus, vulneraque ipsa dedit!  
 O quoties, et quae tecum fuit ille locutus,  
 Pasce meas, toties cum tibi dixit, oves!  
 Dixerat; Amissam si de grege senserit vnam,  
 Per sylvas quaerit, per sata Pastor ovem:  
 Si reperit, gaudens humeris ad ovile reportat,  
 Inventamque gregis totius instar habet.  
 Haec te Pastoris profugam quaerentis imago  
 Tangit, et amissam reperientis ovem.  
 Reperit, inventumque suo praefecit ovili:  
 Certius iudicium pacis an esse potest?  
 Quid quod in assueto captanti gurgite pisces  
 Adfuit, et dulci te recreavit ope?  
 Nox erat in cassum vano consumpta labore,  
 Et radijs vndas sparserat orta dies.  
 Dextrorsum pueri iam retia mittite, dixit:  
 Mittitis, et subitum retia mersit onus.  
 Verba suprema suis cum stans in vertice montis  
 Diceret hos inter tu quoque primus eras.  
 Tunc tibi complexus iterumque, iterumque ferebat,  
 Et, quae mille dabat signa, favoris erant.  
 Tunc tibi prae reliquis (et quid dare maius habebat?)  
 Commisit pretium sanguis ipse sui.  
 Quod si sunt aliquid veniae miracula signum, (est.  
 Nunc quoque, quam quondam, plus tibi posse datum  
 Tunc precibus fuis, tactuque potente fugabas  
 Omne genus morbi: nunc satis umbra tua est.  
 At cum te vinctum feralis carcer haberet,

Quae Domino de te, quantaque cura fuit?  
Dicta dies aderat, quae te suprema manebat.  
Nec spes effugij, ne modus vllus erat.  
Captivum aerati postes, vigilesque tenebant.  
Aretabant nexas ferrea vincla manus.  
Aliger è Coelo praesto est tibi: fulgor ab illo  
Protinus evicta nocte diurna erat.  
Surge, age, festina, sumptasque, ait, indue vestes,  
Et fuge, nilque time: me duce tutus eris.  
Vincla vetant, dicturas eras, creberque satelles.  
Excubat aeratas pervigil ante fores.  
Ducentem sequeris, nec quisquam sensit euntem:  
Sopierar vigiles somnus, et alta quies.  
Liber abis fassus, quamvis manifesta videres,  
Credere vix oculis te potuisse tuis.  
Ipse Deus vinclis vltro tibi brachia solvit:  
Et dubitas animi vincla, soluta tui?  
Singula quid referam? veniae te reddere certum  
De tot pignoribus pars satis vna potest.  
Desine (pacatum persuadent omnia numen)  
Deterere assiduo desine rore genas.  
Forsan, et hinc tua spes possit minor esse videri,  
Ceu Domini notus non satis esset amor.  
Crede, quod est: tua naufragio subducta carina est:  
Incolumis portum iam tenet illa suum.

ELEGIA VLTIMA.

S. Petrus causam reddit, cur à lachrymis

temperare non possit.

ARGUOR immeritò, nunquam non iusta, recensque,  
Donec ero, flendi causa futura mihi est.  
Non prius hos oculos lachrymae, quàm vita relinquet.  
Illarumque idem, qui modus huius erit.  
Nec mihi priscorum superent si saecula Patrum,  
Lux veniet siquis vlla videnda genis.  
Non equidem dubito: lachrymas respexit amaras,  
Quem toties falso laesimus ore Deus.  
Ne spes deficeret, ne mens incerta labaret,  
Mille dedit nobis signa faventis amor.  
Vidi ego pacatos vultus, visosque notavi,  
Plenaque blanditijs verba loquentis erant.  
Non tamen idcirco, lachrymae, suspendite cursum,  
Non ego, si possim, vos tamen ire vetem.  
Torrentes, rivosque aliquando cursus, et vnda  
Deficit: exhaustis alveus aret aquis.  
Nulla dies semper nimbis aequalibus humet;  
Saepe fugat Boreas nubila, saepe Notus.  
At vos perpetuis, lachrymae, mihi currite rivis:  
Currite: quod fundat vena perennis habet  
Vos ego, donec erunt, quae sunt in corpore vires,  
Vos oculo fundam deficiente senex.  
Non me, cur lachrymer, solo de crimine nata

Causa movet, quamvis haec quoque causa movet.  
Qui flendi causam solum putat esse dolorem,  
Fallitur, et sensus nescius ille mei est.  
Sunt alij fontes, usuque invenimus illos:  
Acrius ad lachrymas, quam dolor, vrget amor.  
Ille meis oculis humentes evocat imbres,  
Perque genas, fontis more perennis, agit.  
Vividus et fervens effusis ignibus ignis  
Obruitur: lachrymae sunt in amore faces.  
Testis Iessides nobis: quas moverat illi  
Culpa prius lachrymas continuabat amor.  
Audierat lamenta Deus, gemitusque precantis:  
Dixerat, et Vates, culpa soluta tua est.  
Num tamen idcirco lachrymas retinebat eutes,  
Aut minus in cursu, quam fuit ante, dolor?  
Ducebat vigiles inter suspiria noctes.  
Infesta tundens pectora saepe manu.  
Regia nocturno rorabant stragula fletu:  
Rorabant medio vultus, et ora die.  
Horrebant artus tyrio pro murice setis,  
Squallidaque aspero pulvere facta coma.  
Tunc quoque cum resonas feriebat pectine chordas,  
Quod lyra pulsa dabat, flebile carmen erat.  
Ante oculos illi commissae caedis imago,  
Et violata tori foedera semper erant.  
Nec quasi lenito dubius de numine fiebat:  
Iugis erat flendi causa fuisse reum.  
Qui toties, et tot lachrymas, plantusque cieret,  
Nesciretque modum sensus amantis erat  
Transfuga sic luget, qui fors Regemque, fidemque  
Prodidit, et supplex ad sua castra redit.  
Si quid adhuc superest generosae mentis in illo,

In regem si non excidit omnis amor:  
Perfidiae quamvis concessa est gratia, moeret;  
Et sibi quam veniam Rex dedit, ipse negat,  
Seque, quod a signis vecors defecerit, odit,  
Hoc memori fixum pectori vulnus alit.  
Regia, qua fruitur, nutrit clementia luctum,  
Vitaque cur misero sit quoque acerba facit,  
Turpe licet facinus pulchris abterserit ausis,  
Vera tamen vox est: perfidus ille fuit.  
Hoc est quod cruciat, stimulisque tenacibus aegrum  
Conficit; hoc redimi sanguine posse velit.  
Peior causa mea est: Domini clementia maior:  
Meque aliquis fletum sistere posse putet?  
Ipse mihi lachrymas inhibe, si dicat, obortas:  
Deprecer, usque adeo flenda ruina mea est.  
Vt spes, et veniae tot iam data pignora nobis  
Ire vetent illas, ire iubebit amor.  
Non eadem est ratio lachrymas in amore tenere,  
Et damni sensu: fortius ille movet.  
Immemor est damni, tumido quod in aequore fecit  
Institor, amissas dum reparavit opes:  
Verum si quis amet, lesisse dolebit amantem  
Tunc quoque, cum fuerit conciliatus amor.  
Nec semper lachrymas oculis dolor exprimit: ille  
Tempore decrescit: tempore crescit amor.  
Crescit in immensum, si quae fert vulnera laesus,  
Non nisi muneribus vindicat illa suis.  
Contigit hoc nobis non vindex Numinis ira  
Periurium trifido perculit igne caput:  
Nec mihi ius regni, nec summum munus ademit,  
Crimine quae nostro perdere dignus eram.  
Nec leviter saltem durissima quaeque merentem

Arguit, aut vultu tristia signa dedit.  
Quin etiam verbis vltro est solatus amicis,  
Offensae visus non meminisse suae.  
Credibili maiora dedit; possintque videri  
Flagitijs illum demeruisse meis  
Quid mihi splendidius, quam quod dedit ille dedisset,  
Parte fides nulla si mea lapsa foret?  
Si vinetum, et posita iam stantem ad verbera veste,  
Texissem obiectu corporis ipse mei?  
Si factis animos promissaque magna probassem,  
Altaque signassem sanguine verba meo?  
Posteritas credes ne, reo tot signa favoris,  
Et data post ruptam praemia tanta fidem?  
Sim lapis, aut durum mihi fit pro pectore ferrum,  
Si mea me lachrymas sistere causa sinat.  
Tempore se nullo nullis se fletibus vnquam  
Egerit a laeso motus amore dolor.

LAUS DEO.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS



MADRID  
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVA LEÓN  
SECRETARÍA GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVA LEÓN  
SECRETARÍA GENERAL DE BIBLIOTECAS

PA  
.C  
M8  
18  
c.

00